
WIDENER
HN XTE8


ALPHONSE
PICARD & FILS
EDITEURS
RUE BONAPARTE
82
PARIS VI ARROND.
LIBRAIRIE
ANCIENNE
D'OCCASION
COMMISSION
LIVRES NEUFS
FRANÇAIS
&
ETRANGERS


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

CHRONICON

VALASSENSE

BOLBECI — TYPIS EUGENII VALIN, VIA GALLICE DICTA RUE AUX MOULES

CHRONICON

VALASSENSE

TRUNCATUM

A R. P. ARTURO DU MONSTIER

In sua NEUSTRIA PIA

INTEGRUM NECNON VARIIS ADNOTATIONIBUS VINDICATUM AC ILLUSTRATUM

DE NOVO EDIDIT

F. SOMMÉNIL

PRESBYTER ROTOMAGENSIS

ROTOMAGI

Apud **LEBRUMENT** bibliopolam, via gallice dicta, rue de l'Impératrice

FLEURY bibliopolam, prope S. Audoenum

1868

LECTORI

Media valle quæ a Bolbecco[1] ad Juliobonam[2] protenditur, perantiquum exstat monasterium, quod quidem *plus habet in recessu quam fronte promittit*[3]; albescit enim foras muris lapideis, regnante Ludovico XIV nuper exstructis; intus autem vetustissimis stat columnis, quæ ita subjiciuntur cameræ ut claustrum veluti duplex efficiant, ab illustri antiquitatis investigatore nostro D. Cochet olim præmonstratum[4].

Sub umbra illius claustri quod desideraverat sedens, quidam monachus, fundationis vicinus temporibus exor-

1. Bolbec.
2. Lillebonne.
3. Quintil. Inst. or.
4. *Les Églises de l'arr. du Havre*, II, 304, M. l'abbé Cochet.

dia cœnobii, cui nomen *Votum* seu *Valassia*, scriptis exarare satagebat. Cujus Chronicon [1], doctissimi Patres Ordinis S. Benedicti, necnon S. Francisci parvipendere visi sunt : alter enim, D. Tossanus du Plessis, cum historia usibusque Cistercii in quibusdam discrepare [2]; alter, D. Arturus du Monstier, obscuritatis vitio laborare dicta monachi affirmant [3]. Celeberrimi quoque Patres Congregationis S. Mauri, in sua *Gallia christiana*, fidem, saltem in pluribus, denegant [4]. Nobis autem, cui et claustrum Abbatiæ, et vividi fontes, et saltus umbrosi fuere sæpius et refrigerium, et *umbraculum ab æstu*, liceat nostrum monachum semper veri cultorem fuisse multis firmissimisque argumentis comprobare. Quippe qui in plerisque cum coætaneis, in omnibus cum historia usibusque Cistercii consentit; atque ubi silent chronica, e chartis, quas modo typis mandare curabimus, non modicam haurit auctoritatem.

1. Chronicon Valassense integrum invenies in capite cartularii Ms. abbatiæ de Voto, apud *Arch. de la S.-I.*

2. « L'histoire de la fondation de cette maison... parait ne pas « s'accorder en tout avec celle de l'Ordre de Citeaux. » — Du Plessis. *Descript. géogr. et hist. de la haute Normandie*, I, 158.

3. « Multa sane video confusione plena » — Neustria pia, 849. — D. Arturus du Monstier Chronicon Valassense truncatum edidit in sua Neustria pia, p. 848.

4. « Acta enim illa non videntur ab omni parte irreprehensa. » — Gall. christ., XI, 282.

Chronicon Valassense laborat vitio obscuritatis? — Equidem : sicut Willelmus Malmesburiensis, et Henricus Huntindoniensis, et Rogerus de Hoveden et plerique qui temporibus anglonormannicis scripserunt, orationem identidem obcæcant; quorum verba, in quibusdam, vix ad leges sermonis resolvi queunt; ita tamen ut sensus lectorem nusquam aufugiat.

Non respuendum esse istud Chronicon eo majoris pretii videtur, quod paucissimi appareant, intra fines hodiernos diœcesis Rotomagensis, qui, ævo anglonormannico, res gestas litteris consignare curaverint. Si enim excipias Guillelmum Gemeticensem et archiepiscopos Hugonem Ambianensem, Rotroldum Warwicensem et Galterum Constanciensem, vix alium ac nostrum scriptorem reperies.

Accedit etiam quod Chronicon celeberrimi Cœnobii Valassensis exordia apprime narrat; quasdam abbatum et abbatissarum series nominibus hucusque ignotis exornat; quædam insuper avita nomina in lucem profert, quæ ad familias pertinent in Pago Caletensi conspicuas. Præterea, pons, qui dicitur Pons Mathildis, ædificatus intra annos 1151 et 1167 [1], pervius ostenditur anno 1157.

1. *Essai sur l'histoire de la côte Sainte-Catherine*, L. de Duranville, 169.

Quid plura! Paginulas percurre nostras, benevole Lector, et perlegenti, ni fallor, res non omnino levis momenti videbitur.

Nobis autem fidem et auctoritatem monacho Valassensi vindicare satagentibus satis erit tum scriptores antiquos et coætaneos, tum reges, milites, cæterosque chartarum conditores, alios post alios adducere ut cum ipso eadem colloquantur.

Nec mireris me linguam arripuisse latinam : dedecebat enim, ut visum est, Chronicon latinum et chartas, sive scriptorum narrationes latinas sermone vernaculo intermisceri.



CHRONICON

VALASSENSE

CHRONICON

VALASSENSE

Apparuerunt herbe virentes et collecta sunt fena de montibus[1]. Senes nostri prima conversione succisi, laboriosa conversatione siccati, sacra de virtutum operibus consummatione sublati sunt junioresque pro eis surrexerunt. Illi laboraverunt, et qui in labores eorum introistis, accipite noticiam laborum et largitionum quibus domus vestra ad hujus temporis incrementa profecit. Que vos agnoscendo semper et benefactorum estote memores, et seniorum nostrorum emulatores[2].

Francorum regem Ludovicum, in itinere Jherosolimitano, secuta est ingens procerum electaque nobilitas[3] et exercitus manus valida et copiosa[4]. Atque catervatim

itum est; et quisque melior, quisque nobilior, in ipsum iter expeditior agebatur. Unus erat horum, vir clarissimus[5] et illustrem prosapiam[6] elegantia virtutis[7] illustrans, comes Mellenti Gualerannus, inter alia suorum bonorum insignia, transfusum a progenitoribus retinens in se struendarum ecclesiarum et dilatande religionis amorem : nam patres suos imitatus, qui de Pratellis utrumque monasterium fundaverant[8], jam et ipse Bordesleiam edificaverat in Anglia[9], dum esset comes Wirecestrie[10], quem comitatum cum uxore sua, regis Stephani filia[11], fuerat assecutus.

Peregrinatione transmarina peracta, cum essent, ut quique potuerunt, redeuntes[12], et ipse comes et sui pariter in reditum sese dederunt. Navigantes autem in mari tempestate valida corripiuntur, que spem illis auferret effugii, metum exitii prorsus inferret. Erat ingens timor illorum, nec is frustra. Sed eadem pressura timentium bonum aliquid exprimi querebatur; factumque est ita. Reginaldus de Gerpunville[13] miles, horum nobis postea relator, etiam ipse vir magnificus ac timens Dominum, in illo timore suasit comiti vovere, si evaderet, alborum[14] monachorum abbaciam fundandam, indicans locum ad hoc opportunum[15], haiam[16] suam de Linthot. Non erat difficile tunc id ei persuadere : itaque vovit ille; sed nihilominus, incumbente eis procella, naufra-

gium passi sunt; multisque subversis, comes, Deo miserante, cum ipso Reginaldo et quibusdam aliis, super duas tabulas et fragmenta solute ratis, ut obvium aliquid quisque eripuit, evasere[17].

Cum fuisset autem comes de peregrinatione sua regressus, pro solvendo voto sollicitus erat, et interdum habuit inde cum suis tractatum.

Nec latuit Fratres Mortui-Maris[18] de domo, locis in illis, ediffıcanda tractari; qui quondam ad easdem partes, a camerario de Tankardivilla Rabel[19], viro laudabilium operum et religionis amatore, similem ob causam invitati, duos suorum, Willelmum Malneno et alterum quemdam premiserunt[20]. Quos suscepit ipse camerarius ad capellam que dicebatur *S. Petri de Faveris*, locum nunc ambitu pomarii nostri cinctum[21], tunc autem a solitario quodam habitatore[22], guerris exturbato[23], relictum. Qui duo non multo post, ejusdem consilio camerarii, donec eis ipse melius providisset, unde venerant redierunt, propter guerras[24], et quia camerarius spacium illic condendi cenobii non habebat. Major enim pars vallis de Lillebona et quidquid ejus erat inter haiam et aquam, ut eam rivuli cursus disterminabat, erat comitis ebroicensis[25] adhuc pueri[26]; quam totam et ipsam haiam de Lintot postea dedit, cum Agnete sorore sua, comiti Mellenti, de quo diximus, Gualeranno[27]. Semper tamen,

cum fuit integer, ad Mortuum-Mare camerario affectus erat : utpote qui loco se reddiderat suscepturus illius habitum et ibi sepeliendus, si non morte preventum, ut erat obnoxius infirmitati, presentes ei fratres S. Barbare, quam domum ipse condiderat[28], ad se transtulissent humo que mandassent.

Ad hos itaque domus illic faciende rumores, fratres Mortui-Maris, consilio secum habito, capellam prius habitam, cum pertinentibus ad eam XII acris terre nunc pomario nostro consitis[29], volente camerario, sibi resumpserunt.

Interea comes Gualerannus Haimonem[30] abbatem Bordesleie, quam ipse ut supra vidimus condiderat, cum venisset ad eum Cisterciensis Capituli iter agens, super voti sui complendo negotio convenit; haiamque totam de Lintot et militem quemdam Februarium, redditum XX solidorum annuatim de quadam illius haie terra prestantem, cum ipso redditu et cum omnibus aliis haie pertinenciis, ad edifficandam in ea de suis fratribus abbatiam, ei per cautionem donavit[31]. Uxori vero sue, pro haia que de matrimonio illius fuit, commutationem dedit. Magnificet coram Deo datorem hunc hujus dati magnitudo, quo nobis tam magnanimis probatus est. Quantam hodie cordis inopiam in hominibus, non anguste tantum largitiones, sed et avare rapacitates accusant. Ipse vero fuit

illius sanguinis homo qui magnificentiam inde traxit unde naturam, et suo generi debuit ut opere preemineret; exsolvit in se debitum hoc, in factis et moribus egregius et prestans; qui fertur cujusquam causis audiendis presedisse, nec facile minus capellanis quatuor fuisse contentus[32], quorum duo quolibet euntem peregre comitarentur, reliqui divinis agendis domi vacarent.

Suscepit abbas de manu comitis quod ille donavit; sed oneratus domibus e monasterio suo propagatis sibique vicinis, que satis promoveri non poterant; et hinc estimans difficultatem transmarine constructionis, cum esset ad fratres Mortui-Maris affectuosa charitate constrictus, quorum, in eundo versus Capitulum et redeundo, crebris usus erat obsequiis, illis utpote loco propioribus, et qui jam illic capellam, quam prediximus, et pertinentias ejus habebant, propter quod alii de Ordine nostro, nisi per illorum consensum, in illum locum subire non poterant[33], totum quod perceperat a comite, cum perceptorum cautione consignavit : eo videlicet tenore quod si aliquando ab edifficando et inhabitando loco desisterent, non aliis eum quam Bordesleiensibus resignarent. Nec multo post misit e Bordesleia quemdam monachorum suorum Robertum de Oxenefordia, cum sui conventus assensu, qui, cum hiis et pro hiis de Morte-Mari circiter uno anno laborans, obtinuit apud comitem ut illis locum,

Bordesleie prius traditum, per suam chartam confirmaret[34].

Porro Mathildis Romanorum quondam imperatrix[35], excelsi seminis germen egregium[36], filia regis Anglorum Henrici primi, mater, ex Andegavorum comite Gaufrido[37] seculi genitore, Henrici secundi regis junioris, obsessa pridem in Oxenefordia fuerat ab Anglorum intruso rege Stephano[38]. Que, cum obsideretur, voto se constrinxerat ad faciendam, si liberaretur, suis sumptibus abbaciam[39]. Et cum, Deo prosperante, liberata miro modo fuisset[40], post multum temporis in Normanniam transposita, dicebatur domino rothomagensi archiepiscopo quid et quemadmodum vovisset aperuisse. Interim et comes Gualerannus suum insinuaverat votum. Et advertens pontifex multum ad illos esse, jam per guerras opibus attenuatos, duas construere domos, ne forte fieret insufficiens utraque, consultius estimabat vir prudentissimus in unum contrahi vota duorum, quo domus una sufficienter et sublimiter edifficaretur. Illis diebus ad ipsam Imperatricem totius regni summa spectabat[41], patre jam mortuo, filio, qui futurus erat rex, juniore, tamen duce Normannorum : quamobrem habitus est sermo cum ipsa[42] primum, deinde cum domino archiepiscopo[43], cum camerario de Tankardivilla[44], cum procurante *Lillebonam* Wualtero Giffard[45] ceterisque vicinis[46]; et horum quesita

benevolentia est super hoc loco in abbaciam edifficando; cunctisque faventibus et volentibus, missi sunt ad partes has de Mortuo-Mari monachi, Willelmus de Opennis[47], Willelmus Scriptor, Willelmus Perier, Rogerius et Fulcho conversi, cum quibusdam aliis.

Qui venientes primo manserunt apud S. Marcellum; quem locum et XIIII acras ad eum pertinentes, antequam venissent, obtinuerat eis sepedictus comes Mellenti G. ab ecclesia de Bernai, per excambium septem acrarum terre arabilis in eodem territorio et reditus XXX solidorum in assignatis et hominibus ac terris, et per quinque asinos consuetudinarios in foresta de Floteneio, sicut ejus carta suo loco ponenda testatur[48]. Illarum acrarum, quas cum loco S. Marcelli dictus comes *dederat*, partem quamdam postea reclamavit ab ipsis et obtinuit Will. Torbert adhuc puer[49], ecclesia de Bernai nec tuente eam nec compensante. Quam tamen idem postea miles factus cum haberet duellum facere contra Radulfum de Omeval apud Lillebonam, jam hac abbatia de Voto constructa, prevenit, ipso die pugne vadens ad assisias, fratrum orationibus se commendare per terram illam huic loco datam et oblatam super altare. Cui et in ipsa causa prospere cessit : nam cum strenue per vicarios [50] utrinque pugnaretur, camerarius de Tankardivilla Willelmus, qui aderat, delectatus ea paritate sic pugnantium interposuit se ut

ambos servaret invictos; et, innate sibi nobilitatis instinctu, de suo dedit quo querimonia sopiretur. Fratres vero supradicti post aliquod tempus a S. Marcello, quamvis jam benedictum illic atrium [51] habuissent, ad capellam S. Petri de Faveris, structis ibi domibus transierunt; et agriculture dantes operam, cum messes in horreum congregassent, Willelmus de Moretain [52] vir sola crudelitate famosus et fratres illos in multis persecutus, quod in haia quedam super eos reclamaret, domos eorum cum annona succendit, boves subnervavit, ipsos injuriis affecit. Hec egre ferens camerarius de Tankardivilla Willelmus, patre jam mortuo [53], collecta multitudine, cum plaustris ac carris irruit super eum apud *Feukerei* [54]; et domos ejus dirutas atque omnem quam invenit substanciam, cum victualibus, incendiari tulit [55]. Cujus rei cum apud Rothomagum Adam de Morte-Mari [56] certum nuncium habuisset, ipse rem ad dominum archiepiscopum, dominus et ipse simul ad Imperatricem retulerunt; que propter guerras diebus illis non prevalebat in terra : dictumque est illi quod oporteret fratres ipsos ab illo recedere loco et ad Mortuum-Mare, cum suis omnibus, revocari. Piget me, ait illa, reditus hujus, sed, quia non prevalemus hiis diebus, non est aliud facere modo : sicque fratres illi revocati [57]. Proximo Capitulo reprehensus est abbas Adam apud Cistercium, quo jam hujus

rei fama prevenerat, quod locum calumpniis obnoxium usurpasset et prohibitus est illum amplius edifficare, donec liber a calumpniis haberetur[58]. Advertit hoc Willelmus abbas de Becheron[59], et usque Mortuum-Mare seni de Capitulo redeunti familiariter adhesit, crebrius inter eundum de sic interdicto loco sermonem interponens, quod posset melius ad pacem trahi per se suosque de proximo natos[60], si locus illi tradederetur edifficandus. Hoc autem ei sine consensu Bordesleie permitti non potuit : illuc ergo missum est; sed expetitus ab eis assensus nonnisi per secundum nuntium, ipsum Guillelmum Malneno, vixque per ipsum est impetratus. Tunc annuentibus et hiis de Morte-Mari, illi de Becheron in istum locum subierunt. Nec per illos quesita pax est. Sed punitis, ut dictum est, malefactoribus et adversariis[61] quicquam adversus locum ipsum juris sui probare non valentibus, pacatius ex tunc in eo degebatur. Illi vero quem edifficandum susceperant locum magis vastare ceperunt, boscum venditionibus distrahere et in multis inutiles esse. Sparsit hos fama rumores et Bordesleiensibus eos ingessit; qui statim duos monachorum suorum miserunt; illique venientes, ut compererunt omnino sic esse et quod hii de Mortuo-Mari jam ab hoc alienati loco fuissent, a quibus, ut ab illis de Becheron, eum communiter edifficandum speraverunt, omnibus ut compererant

comiti primum nuntiatis postea domino archiepiscopo sed et Imperatrici, necnon et vicinis divitibus universis, eos per hanc famam odiosos reddiderunt, a quibus et primo cohibiti sunt residua ipsa vastare. Igitur per aversam ab eis gratiam prenominatorum, qui diutius eos illic persistere non paterentur, et, ut ferebatur, accedente Capituli Cisterciensis auctoritate, procuratum est a duobus qui venerant e Bordesleia monachis, ut abbas illorum Willelmus locum abbati Mortui-Maris per redditas investiture cartas resignaret, acceptis ab illo pro sumptuum recompensatione libris Andegav. xxx, sicut ipse prius in illorum de Morte-Mari preterita cessione recompensarat eis similiter expensas. Sed habitis denariis, nisus est idem Willelmus, tamque apud comitem quam apud alios potentes regionis elaborabat locum rursus illum, invitis illis de Mortuo-Mari, sibi revocare. Quem cum pater suus abbas[62], abbas Karoliloci[63], super hac audita querimonia cohibuisset, ipse nichilominus ad abbatem[64] Ursicampi[65], cum abbatibus de Briostel[66] et de Prato[67], venit usque Mortuum-Mare[68]. Prevenerat illuc et abbas de Bordesleia[69] cum fratribus Mortui-Maris super illo tractaturus. In horum abbatum et plurium monachorum qui convenerant presencia[70], partibus utrinque jus suum prosequentibus, discussio diligenter habita est; sed succubuere ratiocinia Willelmi : quamobrem impositum

est silentium illi et indicatum ut querimonie renunciaret; quod ille faciens interponere voluit condicionem ut, si quando qui sibi succedebant locum intermitterent, ad eos de Becheron denuo devolveretur; cui condicioni propter expertam ejus improbitatem abbas Mortui-Maris contradixit. Qui deinceps locum alienari noluit, prius Bordesleiensium donacione collatum et eorumdem opere postea restitutum, sed et sibi hujus auctoritate sessionis adjudicatum. Verumtamen cum senectuti sue parcens[71] nollet edifficandi laborem sine sufficienti preparatione vel auxilio ingredi maniffestis, locum abbati Bordesleie permisit[72] : id que non aliter quam domui Mortui-Maris integerrime cum appendiciis ejus restituendum, si non esset a suis illuc perseveratum. Tunc Ricardus de Bloxevilla[73], cum aliis quibusdam de Becheron, in monachos Morti-Maris transierunt[74]. At hii de Bordesleia, loco suscepto, quamdam de Anglia domorum suarum, illam videlicet de Pinokesire quam illic ceptam satis promovere non potuerunt, cum suo conventu, demisso prius eorum abbate quodam Arnaldo viro religioso, ipsumque cum illis ad hunc locum transtulerunt : nam abbas Haimo promiserat abbatem illis se futurum et cessurum sue de Bordesleia prelationi. Quamobrem sine abbate conventum premiserat, adjunctis eis quibusdam suorum, ipse eos ut putabat secuturus. Audierat enim quod jam Imperatrix ad

eum locum pronior esse cepisset, qui fuerat ei commendatus a multis, quod struendo cenobio congruus haberetur. Propter id ipsum, qui prevenerant sollicitius agentes locum amplius extulerunt : qui cum esset in confinio duorum feodorum regis et comitis[75] interfluente tantum rivulo discretorum, sedem abbatie trans rivulum in dominio regis, ob umbram regii nominis, statuerunt[76] et ecclesie, que nunc extat, ex parte fundamenta jecerunt[77]. Imperatrix autem adjuvabat manus eorum interdum et abbas Haimo presens imminebat eis et cooperabatur. Sed postea cum non est ei permissum[78] a Capitulo commutare prelationes, id est illi cedere quam habebat per spem alterius quod optabat habende, reversus Bordesleiam suos, ex domo sua quos utpote viros industrios hic premiserat tanquam ipse secuturus, ad se revocavit; reliqui vero, quos hiis abeuntibus in loco reliquit, optimis eorum ablatis et abbatis quem optaverant spe sibi precisa, jam ad persistendum illic amplius animis infirmari ceperunt. Cum etiam Imperatrici non placuit diuturnitas eorum, quod ejus expensis ad loci provectum ut oportebat non uterentur : jam enim multa contulerat illis, maxime postquam inter eam comitemque convenerat in unius loci promotionem amborum vota convenire, quodque comes ei dederat manere et ab hac addendum quod adhuc opus erat. Que cum esset una de sensatis in

terra mulieribus, bene etiam interius in Dominum affecta, plurima plurimis in pias causas erogabat[79]. Tunc et huic loco dedit, in foresta Fiscanni, que foresta parvis licet arboribus adhuc erat, terram grangie[80] de Fangosemare[81]; quod donum postea filius ejus rex Henricus auxit, sicut in ejus carta suo loco memorabitur[82]. Eadem ipsa didicerat per quemdam hujus loci novicium Gerardum medicum et familiarem suum, qui quid in probatione negligentius ab illis haberetur, se petente, missus ad Mortuum-Mare fuerat probacionem suam ibi complere, per hunc, cum jam factus monachus ad eam accessisset, comperit illa per hos habitatores rem non facille promovendam, per illos autem de Morte-Mari multo melius id agendum : quamobrem ad eos deinceps inclinatior animo fuit. Interim hiis ad Bordesleiam redire parantibus et illis de Mortuo-Mari ad alia vacantibus, abbas Haimo cum esset apud Elemosinam[83], de qua domo Bordesleia secundo gradu, una scilicet interposita domo, descenderat[84], contra quod inter eum et abbatem Morte-Maris convenerat, locum hunc Elemosine dedit. Quare postea disceptatio super hujus loci jure fuit inter abbates de Elemosina et de Morte-Mari. Sed Imperatrix finem controversie fecit, alterius religionis homines in locum ipsum inducere parans, nisi libere Mortuo-Mari subderetur : per quod et a disceptatione cessatum est et locus deinceps, omnium

assensu, Mortuo-Mari cessit[85]. Dederat enim Imperatrici consilium soror sua Mathildis, abbatissa Monasterii-Villaris[86], ut quemadmodum ipsa regis Henrici fuit filia, sic condendam ab ea domum Mortui-Maris, id est domus a patre suo condite[87], filiam[88] faceret esse. Quamobrem illa, jam abbate Mortui-Maris Adam sacra morte sublato[89], misit ad abbatem, qui successerat ei, Stephanum[90]; qui cum apud Rothomagum occurisset ei, convenit eum super hac re, sed ipse diu distulit assensum adhibere, dissimulans hoc ipsum quod optabat, donec ex Imperatricis instancia futurum rei profectum collegisset. Voto tamen ejus in hoc annuit ut illuc mitteret Richardum de Bloxevilla, jam apud Morte-Mare conversorum magistrum, qui, cum his de Bordesleia discedere parantibus, pro re servanda moraretur : nam discedentibus illis in Angliam, ipse, cum Arnaldo, quondam eorum abbate viro venerabili sancteque conversationis, in loco resedit, emptis illorum utensilibus, cartis que retentis, preter privilegium domini Pape super loci confirmatione, quod tulerunt et postea coacti reddiderunt[91].

Instancius interim egit Imperatrix ut conventus illuc ex Mortuo-Mari mitteretur[92], que postquam visa est ex animo rem aggressa, vocatus est ut consuleretur abbas olim Ursicampi Guillelmus[93] et adveniens assensum operi dedit. Tunc provisum est qui mitterentur huic negotio

convenientiores et designati sunt Guillelmus de Openiis[94], Guill. de Farseus[95], Roger. de Montvill., Adulphus parisiensis, Roger. de Herbetot, Robertus de Cahaines[96], Frogerus lexoviensis et alii quidam. Radulfus de Noyon[97] non multo post venit[98]. Hi, cum mittendi fuissent, elegerunt abbatem, in dominica quadam, scilicet Richardum quem diximus de Bloxevilla[99], virum negotiis utilem ut ipsis effectibus est declaratum[100].

Feria secunda processit ex Mortuo-Mari conventus ille, semen benedictum future frugis, in terra deserta in loco solitudinis. Persecuti sunt illos abbates Ursicampi[101] de Briostel[102] et Morti-Maris[103] et venerunt usque Rothomagum. Quibus prandio refectis apud virum venerabilem archidiaconum Laurencium[104], ad quem familiariter in urbe fratres Mortui-Maris ex more declinabant, post refectionem descendit ille conventus, per naviculam, ad locum ei designatum navigio venturus. Et ecce de loco, quem jam relictum a Bordesleiensibus custodiebat electus illorum abbas Ricardus, per litteras evocatus advenit, nescius horum que facta fuerant. Cui deducto seorsum abbates intimarunt quod illi conventui prout poterant consuluissent, eumque monebant non adversari nec impedimento esse factis eorum : et ille se minime presumpturum esse respondit : Tu es, inquiunt, in abbatem ab eis electus, preesto illis nec obsistas. Fecit ipse

quomodo dixerat, imperato se sine contradictione permisit.

Enavigavit ergo conventus ille trans Secanam; abbates vero seorsum alia via [105] venerunt usque ubi, super ripam fluminis, utraque Mathildis eis occurit ex condicto, videlicet Imperatrix et abbatissa soror ejus in adjacentibus fluvio pratis [106]; quibus conspectis : En viros, inquit abbatissa, decoros et ad fovendos eos ac promovendos sororem monitis incitabat. Facturam se quod monebatur illa spopondit et impositis naviculis victualibus dimisit eos et abierunt. Et exinde diu noctuque navigatum est, quousque kilebo [107] feria tercia pervenirent. Abbates apud Rothomagum illa nocte manserunt, quod electus ille Ricardus ipsa feria tercia, videlicet in festo S. Barnabe apostoli, benedicendus illic esset in abbatem. Quo nimirum benedicto, festinaverunt abbates conventum, qui precesserat ad sepedictum locum, prevenire : sicque factum est ut hinc inde conventus et abbates ad ipsum locum feria quarta convenirent. Anno igitur ab Incarnatione Domini M° C° L° primo [108], II° Id. junii, feria quarta, in crastino festivitatis S. Barnabe apostoli, conventus ex Morte-Mari veniens per memoratos abbates introductus est in locum istum, qui rectiore nomine Votum appellatur [109]; quique deinceps possessus ab ipsis est et successoribus ipsorum. Postero die, pro-

fessiones abbati suo fecerunt et in reliquum moribus et operibus tales apparuerunt, qui vere religiosi patris Adam[110] institucione profecerint, vere prodierint domus ex gremio disciplinate.

Sed ab adventu statim eorum motus est indignatione comes Gualerannus adversus illos, quod, eo inconsulto, vel Bordesleienses ipsum locum deseruissent vel hii vacantem occupassent. Plus anno continuo continuit in ira sua misericordiam suam, illam quam in Francie loco dederat elemosinam eorum usibus venturis[111], donec Imperatricis ope, comitisse etiam interventu, in eorum capitulum introiret, ubi satisfactione conventus supplicantis rediit cum illis in gratiam et detenta restituit et auxit ante data[112], locumque cum omnibus appendiciis possidendum eis perpetuo, cum omni libertate, donavit[113].



ANIMADVERSIONES

IN CHRONICON

VALASSENSE

ANIMADVERSIONES

IN CHRONICON

VALASSENSE

---

1. Proverb. XXVII, 25.

2. Quo tempore exaratum fuerit Valassense Chronicon, ex hac præfatiuncula operi præmissa, datur augurandi facultas: exeunte scilicet sæculo duodecimo; abbatia enim anno MCLVII fundata, ea quæ vidit ipsemet, vel ab oculatis testibus didicit, narrat monachus, si non elegantiori, saltem poetico sermone. Orationi rhetoricæ colores inducere mos erat cœnobitarum, quorum mens rebus divinis defixa et amœnitate vallium silvarumque jucundata poesim redolebat. Liceat ad exemplum proponere quemdam fratrem Robertum scribentem ad Petrum Cluniacensem : « Cum ad nos ve- « neris, inquit, nec heremum nec heremitas inveneris.

« Triceps namque Parnassus noster, non jam biceps, sicut « olim locuti sunt poetæ priores. Hinc faunos bicornes, inde « satyros saltantes, circumquaque vero strepitus ferarum, « suavesque garritus avium habens, nil tale insinuat. Tantum « hic sursum cucullatos poetas quære; coloratos nigro « monachos mirare; religionis, orationis, lectionis amatores « fratres desidera... Et hoc de illis qui montem medium « incolunt. Qui vero reliqua duo Parnassi capita occupant, « in ipsius familia censentur quæ [1] perpetuo silentio « damnat vocis articulatæ primitias, et quæ eosque religiosa « manet, quod nunquam nisi vocata vel excita respondet. « Quod si religiosus es, approba similitudinem; si creditus, « solitudinem; si grammaticus et lectionis amator, convictus « conditionem. Hæc, frater charissime, penes nos haben- « tur [2]. »

3. « Anno gratiæ 1148... exercitus imperatoris Alle- « manniæ et *regis Francorum*, qui *summis ducibus illustrati* « cum summa incedebant superbia, ad nihilum devene- « runt [3]... »

4. « Ad Pentecosten, 1147, *rex Franciæ Ludovicus*, et consul « flandrensis Theodoricus, et consul de S. Ægidio, et *innu- « merabiles exercitus de numeroso regno Francorum*, et multi « de gente Anglorum, crucibus assumptis, iter Jerosolymi-

1. Echo.
2. Maxima Bibliotheca Patrum. Lugduni, 1677, XXII, 927.
3. Rogerius de Hoveden, annal. pars prior, apud Script. rer. Angl. Francofurti, 1601, p. 489.

« tanum arripuerunt ut paganos, qui ceperant urbem « Rohais[1], expugnarent[2]. »

5. « *Unus erat horum vir clarissimus... comes Mellenti Gua-* « *lerannus.* »

Robertus de Monte, ad annum 1157, Walerannum crucem assumpsisse testatur his verbis : « ... Audita... conquestione « Christianorum de locis sanctis venientium super irruptione « paganorum; prædicatione etiam Bernardi abbatis de Clara- « valle, viri non contemnendæ auctoritatis, cui papa Eugenius « injunxerat hoc officium, commoti Ludovicus rex Fran- « corum, Conradus imperator Alemannorum, Fredericus « etiam nepos ejus dux Suevorum, *Galerannus comes* « *Mellenti tertius,* Guillelmus de Warenna comes[3] frater « ejus, Theodoricus etiam de Auseis[4] comes flandrensis, et « alii multi magnæ auctoritatis et dignitatis viri... non solum « milites et laici, sed etiam episcopi, clerici, monachi, « crucem in humeris assumentes ad iter jerosolymitanum « se præparaverunt. Rex autem Francorum et Robertus

1. « Roha. C'est ainsi que les Arabes appellent aujourd'hui la ville « d'Édesse en Mésopotamie. Nos voyageurs l'appellent vulgairement « Orfa. Cette ville fut prise sur les Arabes, par les Français, pendant « les guerres de la Terre-Sainte; mais elle fut reprise sur eux, « l'an 139 de l'Hégire (1144), ... sous le règne de Baudouin, fils de « Julio ou Foulques roi de Jérusalem. La ville d'Édesse fut reprise « sur les Arabes et saccagée, ... l'an 1393, par Tamerlan. » — *Le grand diction. géogr. et critique par Bruzen la Martinière.* V° Roha, t. IX.

2. Rogerius de Hoved. — Script. rer. angl., 489.

3. Comte de Surey.

4. Théodoric d'Alsace.

« frater ejus, et *Gualerannus comes Mellenti* et alii multi « juxta Vigiliacum[1], die dominica in ramis palmarum « crucem assumpserunt[2]. »

6. Walerannus comes Mellenti ex illustri gente oriundus; quippe qui avos habuit :

Bernardum danicum, Ducis in Normannia vicesgerentem et Rotomagi baptisatum, anno 912.

Torf de Tourvilla, 955.

Turoldum de Ponte-Audomari[3], « Normanniæ ducibus « affinitate conjunctissimum; qui sororem Gunnoridis, « Richardi II matris, uxorem duxerat, ex qua Humfridum « suscepit. Factus et ipse pedagogus Willelmi ducis; a « perfidis patriæ proditoribus demum interfectus est[4]. »

Humfredum dominum de *Vetulis*[5], 1027[6], « qui genere « spectabilis, opibus dives et amplissimo fuit pollens ho- « nore[7]. »

Rogerium de Bellomonte[8], 1066, virum « antiquæ simpli- « citatis et fidei, qui, crebro a Willelmo I invitatus ut « Angliam veniret largis possessionibus munerandus, super-

1. *Vizeliacum*, apud Duchesne. — Scrip. norm., 982. — Vézelai.
2. Robertus de Monte, ann. 1157, apud rer. gall. et franc. Script., t. XIV. — Chronica Normanniæ, apud Duchesne, 982.
3. De la Roque. *Hist. de la mais. d'Harcourt*, t. I.
4. D. Mabillon. Annal. bened., IV, 392.
5. Honfroi de Veules.
6. De la Roque, I.
7. Annal. bened., IV, 392.
8. Castellum de Bellomonte supra Rislam, inter Ebroicas et Lexovium, Rogerius ædificavit et proprio nomine insignivit, vertente sæculo duodecimo. — Moreri-V°. Beaumont-le-Roger.

« sedit, pronuntians patrum suorum heræditatem se velle « fovere, non transmarinas et indebitas possessiones vel « appetere, vel invadere[1]... »

Ex patre autem Roberto de Bellomonte et matre Elisabeth viromanduensi, quam sanguine regio genuerat Hugo cognomento Magnus, ortum habuit Walerannus[2]. Qui quidem « Robertus consul de Mellent, sapientissimus in rebus secu« laribus omnium usque in Jerusalem degentium et regis « Henrici consiliarius[3] », cum Henrico I veluti conregnavit : « astutior enim... cum superiorum regum tempore, spe « sensim pullulante, in gloriam procederet, hujus (Henrici I) « ætate, summo provectu effloruit. Habebat que ejus consi« lium quasi quis divinum consuluisset sacrarium... et « prorsus ad quod intenderet, pro viribus eloquentiæ, citis« simus persuasor... In placitis propugnator justiciæ, in « guerris provisor victoriæ; dominum regem ad severitatem « legum custodiendam exacuens, ipse non eas sequens sed « proponens; exspers in reges perfidiæ, in cæteros ejus « persecutor[4]. »

Hæc fuit Waleranni prosapia, certe non ingloria.

1. Guillelmus Malmesburiensis, apud Script. rer. angl., 160. — Francofurti, 1601.

2. « Hugo cognomento Magnus, frater Philippi regis Francorum... « genuit... filias... quarta filia nupsit comiti de Meslent, cui peperit « filios, quorum unus (Walerannus) successit patri in comitatu, « alter vero Robertus comitatum tenuit de Cirecestre. » — Rer. gall. et franc. Script., XIV, 4.

3. Henricus Huntind. apud Script. rer. angl., 380. — Francofurti, 1601.

4. Guill. Malmesb. apud. rer. angl. Scrip., 160.

7. Walerannus, comes Mellenti, qui « omnibus Normanniæ « primatibus, et firmitatibus, et redditibus et affinibus præs- « tabat[1], » in plerisque hujus ævi præliis dimicavit. Cruce assumpta, ut superius dictum est, impetum fecit in Turcos ad liberandum Christi tumulum. Regem Henricum I, quem prius amicissimum, postea infensissimum expertus est. Guillelmo Clito filio Roberti, in bello contra dictum regem, adjutor fuit; castris autem de Monteforti et de Ponte Audomari ab Henrico expugnatis, ipsemet Walerannus Galterum de Walliquervilla ab obsidione castelli de Wattevilla repulit. Redeunti autem insidias struxit Ranulfus bajocensis: Itaque, omni aditu intercluso, et invitis comitibus, cum Willelmo camerario de Tancarvilla et Galtero Giffard et aliis multis, in finibus silvæ de Routot, manus conseruit fere solus, sicut olim Thebanorum dux Pelopidas. « Circa Pente- « costen, inquit Henricus Huntindoniensis, 1124, rex mare « transiit et recessit ab eo comes de Mellend, discordia « propalata. Rex autem castellum ejus, quod vocatur Pun- « taldemer, obsedit et cepit. Anno vero sequente, 1125, rex « fortunate glorificatus est[2]. Willielmus namque de Tancar- « vile camerarius regis confligens cepit comitem prædictum, « et Hugonem de Munford sororium ejus et Hugonem[3] « filium Gervasii, et tradidit eos regi; rex autem posuit

1. Robert. de Monte, ad ann. 1151.

2. « Gestum est hoc bellum... anno 1124, VII. Kal. apr. haud « procul a villa quam vocant *Burgum-Turoldi*.—Guill. Gem., lib. VIII, « cap. XXI. »

3. Hugues de Neuf-Châtel. — Daniel, III, 484.

« eos in Carcerem [1], » primo *apud Rothem* [2], postea *ad Brigge* [3].

Anno vero 1129 « rex accersivit comitem Walerannum... « factique sunt tam amici quam antea fuerant inimici [4]. »

Postea Mathildis imperatrix ex partibus Stephani regis ad suas traxit Walerannum : qui « concordiam fecit cum « Gaufrido Andegavensi et concessum est ei castellum « Montis-fortis, quod ex tempore mortis Henrici possederat [5]. » Ipse autem expugnavit Hermentruvillam et cum ecclesia succendit [6].

Fuit autem *elegans* non solum virtute sed etiam doctrina, si credere fas est Willelmo Malmesburiensi : « His diebus, « inquit, Calixtus papa... præsentiam suam prope Norman- « niam exhibuit. Cujus colloquio potitus rex Angliæ, Romanos « prudentiam Normannorum mirari et prædicare coegit. « Namque ille infesto venerat animo (propter Roberti capti- « vitatem), sed responso principis, quod erat simile veri et « probabilibus argumentis perstrictum, parum contra re- « tulit. Possunt enim communes (monachus loquitur!...) « ad quamlibet partem inflecti pro facundia orationis... Et « ut nihil cumulatæ pompæ deesset, *adolescentulos clarissimi « generis, filios comitis Roberti de Mellento, ut contra cardi- « nales de dialectica disputarent, subornavit*. Quorum tortili-

1. Henr. Hunt. ap. Script. rer. angl. 382.
2. *Rouen*. — Chronicon anglo-saxonicum ap. Duchesne, 1124.
3. Ibid. 1126.
4. Chronicon anglo-sax. anno 1129.
5. Robert. de Mont. ad ann. 1151.
6. Chronicon triplex et unum, 83. — DD. Charma, L. Delisle, Cheruel ediderunt.

« bus sophismatibus, cum pro vivacitate rationum obsisti « nequirent, non puduit cardinales confiteri majori occiduas « plagas florere litterarum peritia quam ipsi audissent, vel « putassent in patria [1]... »

8. Recte dixit monachus : *De Pratellis utrumque monasterium;* sunt etenim duo de Pratellis monasteria.

1° Pratellum vetus, *Preaux*, sub titulo S. Petri, Ord. S. B., inchoatum anno 1034.

2° « Pratellum S. Leodegarii, *Préaux St-Léger*, monialium, « Ord. S. B. anno 1040 [2]. »

« Vix amplius decem millibus passuum a Beccensi « monasterio, inquit D. Mabillon, distat locus quem veteres « Pratellos, alii Pratellum vocant, in angusto montium « intervallo, haud procul a Ponte-Audomari positus, ubi « antiquitus monasterium stetisse constat... Hoc monasterium « danica tempestate, ut alia illis in partibus fere omnia, « solo æquatum instaurare, immo a fundamentis erigere « agressus est hoc tempore nobilissimus miles, Hunfredus « nomine, cognomento de Vetulis [3], Turoldi filius. Idemque « alterum sanctimonialium ibidem inchoavit... Hunfredus « genere spectabilis, opibus dives et amplissimo pollens « honore, suas opes ad promovendum Dei cultum impendere « statuit, suffragante conjuge Albereda; et *cœnobium virorum « in proprio fundo Pratellis dicto, in honorem S. Petri « construere cœpit, alterum puellarum in honorem S. Mariæ;*

1. Will. Malm. — Script. rer. angl. 560.
2. Annuaire historique, 1838.
3. Honfroi de Veules.

« *quod utrumque liberaliter dotavit.* Quamobrem accersito « Granulfo Fontanellæ abbate, cui valde familiaris erat, ejus « consilio novi monasterii ædificia disposuit... eidemque « locum regendum commisit. Mox adducti sunt e Fontanella « monachi, quibus sui vice Gradulfus præfecit Ansfridum « abbatem, sub quo Hunfridus ipse, non multo post, abruptis « sæculi impedimentis, sanctæ religionis habitum induit, « ibidemque vitam laudabili fine conclusit[1]... » Decessit autem IV. Kal. octobris, 1074. « Humatus fuit primo in navi « ecclesiæ, dein ad latus evangelii in chorum translatus, ac « demum in medio chori ubi hactenus ejus cineres asser- « vantur[2]... »

Rogerius de Bellomonte ejus filius monachus factus est in extremis[3], Pratellis.

« Robertus Leicestrensis et Mellenti comes Rogerii filius[4], « ejusque frater Henricus comes Warwicensis octo parochias, « in Anglia, concesserunt huic monasterio, cum jurisdictione « temporali... Gualerannus ipse addidit decimam salmonum, « et aliorum piscium in Risla fluvio captorum, cum annua « duorum dierum piscatura... Et ut jugiter in capitulo « lampas arderet ante corpora parentum suorum ibidem « tumulata, viginti solidos annui redditus addixit[5]. »

9. Bordesleia, abbatia Ord. Cisterciensis, in Worcester-

1. Annal. Bened. IV, 392.
2. Ibid. IV. 83.
3. Ibid.
4. Robertus de Bellomonte Waleranni pater.
5. Gall. Christ. XI.

shire fundatur a Waleranno comite Mellenti, anno 1136-1138[1].

In charta fundationis Walerannus sic loquitur : « Sciatis « me fundasse abbatiam de Bordesleia de Ordine Cisterciensi « ... Dedimus in elemosinam perpetuam totam terram de « Bordesleia[2]. »

« There are no vestiges now remaining of Bordesley abbey. « The foundations are said to have been discovered in diffe- « rents parts of eight acres of ground[3]. »

10. Anno 1150, rex Stephanus urbem Wirecestre *pulcherrime assilivit*... « Castellum tamen, quod urbi inerat, capere non « potuit : *Urbs namque illa Waleranni consulis erat de « Mellent,* quam ipse rex Stephanus ei malo suo dederat[4]...»

11. Ut Walerannus regni commodis inserviret, Stephanus rex ei comitatum Wirecestriæ cum filia Bienna sponsa contulit, 1136[5]. Quæ quidem Bienna dicta est, quia vix duobus annis nata desponsata fuerat[6].

« Stephanus rex, inquit Ordericus Vitalis, filiam suam « Biennem Galeranno comiti de Mellento in incunabulis « dedit, 1136[7]. »

1. Nomasticon anglic. nov. V. 407.
2. Nomast. angl. I. 803.
3. Nomast. angl. nov. V. 407-409.
4. Henr. Hunt. apud Script. rer. angl. 895.
5. De la Roque, I.
6. A. De la Roque, I, p. 11.
7. Ord. Vitalis, lib. XIII, apud Duchesne, 903.

12. « Pervenerunt Christiani quoquo labore ad sancta loca « in Hierusalem, et circa augustum mensem Damascum « obsidentes et dolo Hierosolymitanorum parum proficientes, « repedare citius studuerunt[1]. »

Redierunt autem anno 1148, si credas chronicis Normanniæ : « Eodem anno 1148, circa augustum, rediit « Ludovicus rex Francorum de Hierusalem[2]. »

Vel anno 1149, si Rogerio de Hoveden fidem dederis : « Eodem anno 1149, inquit, rex Francorum et uxor ejus « Alienor a Jerosolymis redierunt in Galliam[3]. »

13. Gerponvillæ, in vicecomitatu Ourvillensi[4] non longe a Valido-Monte, dynastes erat, vertente sæculo duodecimo, Reginaldus de Gerponvilla, *vir magnificus ac timens Dominum.* Post primates de Stotevilla, de Mortuo-Mari et de Mellento, divitiis et virtute facile secundus fuit. Cujus dominium ecclesiam S. Helenæ[5], et *Le Tillois,* et S. Martinum de *Poteria,* Gerponvillam et alia loca permulta[6] capiebat. Reginaldus autem de Gerponvilla, abbatiæ de Valido-Monte, mensuram frumenti et molendinum suum de *hamello* dedit[7], et chartæ fundationis hujus monasterii sicut et S. Georgii[8] sigillum

1. Chronica Norman. apud Duchesne, 983.
2. Ibid. 985.
3. Roger. de Hov. apud Script. rer. angl. 490.
4. Les Églises de l'arrond. d'Yvetot, par M. l'abbé Cochet. II. 84.
5. Ibid. II. 216.
6. Ibid. I. 262.
7. Ibid. II. 150.
8. Gall. christ. XI. — Déville, Essai sur l'église et l'abbaye de St Georges de Boscherville, 76.

apposuit; testisque manet chartæ a Mathilde imperatrice, causa monachorum de Voto, scriptæ, quam hic integram prelo subjicimus.

Charta Mathildis imperatricis, de quadam terra Februarii militis, apud Grouchet.

« Mathildis imperatrix, Henrici regis filia, omnibus sancte « Ecclesie fidelibus tam presentibus quam futuris salutem. « Noverit universitas vestra quoniam ego emi, ab Aelix « uxore Februarii et filiis ejus, pro quadraginta libris « Andegavensium, totam terram apud Grouchet, que erat « de feondo ecclesie Sancte-Marie de Voto; de qua terra « reddebant annuatim, eidem ecclesie, XXti solidos pro « censu. Hanc terram dedi in perpetuam elemosinam prefate « ecclesie, pro salute anime mee, et Henrici regis Anglie « filii mei, et pro anima Henrici regis patris mei, et Gaufridi « comitis Andegav., et pro animabus filiorum meorum « Gaufridi et Willelmi, et aliorum antecessorum meorum. « Et ut istud firmiter et indissolubiliter teneatur, sigilli mei « impressione signavi, ne deinceps ecclesia aliqua perturba- « tione sollicitetur super hoc, quod testimonio legalium « virorum factum est. Testib. Will. de Mala-palude, *Reginaldo « de Gerponvilla*, Walt. Silvano, Roberto de Willech. et « Will. filio ejus, Rogero Walchet, Bernardo Cumin, Hugone « de Meondin, Waltero filio Ernoldi, Luca de Craismenil,

« Waltero de Bosobosco et Joh. fratre ejus, et confirmacione « donatorum prout scripta declarant[1]. »

14. Monachum non temere dixisse *alborum monachorum abbatiam* ex infra scriptis patebit.

« Beccenses sub Anselmo nigrum habitum commutasse « in album crediderunt plurimi, propter eximiam Anselmi « pietatem in B. Virginem. Verum, scribit Mabillonius.— Ann. « Bened. V. 327, — vix mihi persuadeam hanc mutationem, « sive auctore Anselmo, sive ejus tempore, Becci factam « fuisse. Illud imprimis me movet quod Ordericus Vitalis « agens de novis Cisterciensium institutis, qui decennio ante « Anselmi obitum exorti sunt, eos maxime suggillat quod « nigro vestium colori, quem ad id tempus Benedictinæ Re- « gulæ sectatores gestaverant, album novo exemplo prætulis- « sent. Quod eis etiam Cluniacenses exprobabant : teste Petro « Venerabili, — lib. IV. epist. 837. — Orderici verba refero : « Albedine in habitu suo, inquit, præcipue utuntur Cister- « cienses, qua singulares ab aliis notabilesque videantur. « Nigredo in plerisque locis sacræ scripturæ humilitatem « designat, quam idcirco colorem religiosorum fervor haete- « nus gratanter gestat. Nunc autem nigredinem, qua prisci « Patres, tam regulares clerici in cappis quam monachi in « cucullis, ob humilitatis specimen usi sunt, moderni tanquam « ob majoris justitiæ ostentationem abjiciunt; inusitata quoque « pannorum sectione suorum ab aliis discrepare appetunt[2]. »

1. Ex cartulario Mss. abb. de Voto I. f° 14 recto. Apud Arch. de la Seine-Inférieure.
2. Gall. christ. XI 225.

15. « In civitatibus, in castellis aut villis, nulla nostra cons-
« truenda sunt cœnobia, sed in locis a conversatione homi-
« num semotis[1]. »

Hunc solitudinis amorem lepide dixit Petrus venerabilis :
« Silvas incolimus, inquit, pertæsi urbium, rura amamus
« et ut aliquid poeticum addam :

« . . . . Jam non mihi turbida Roma
« Sed vacuum Tibur placet ac imbelle Tarentum[2]. »

16. *Haia* est « sepimentum ex virgultis confectum. »

« Haiam nostri appellabant quamdam silvæ partem delec-
« tam, quam sæpibus muniebant ad feras includendas, aut
« ad alios usus[3]. »

Agnes comitissa, ut inferius, benevole Lector, comprobatur, Waleranno dotem attulerat haiam de Lintot. Cujus haiæ terminos reperies si per *Valassiam, Grochet, feudum* de *Feukerei*[4], *S. Nicolaum de haia,* Anquetiervillam, Triquervillam[5] et Trinitatem de Monte longo itinere pertransieris.

« La Haie de Lintot, aiebat D. Orillard prior abbatiæ
« regnante Ludovico XIV, donnée par le comte de Meullan

1. Nomasticon Cisterciense, 249.
2. Horatii epistolar. lib. I. Epist. VII, 43. — Max. bibl. Patrum. Lugd. 1677. XXII, 926.
3. Ducange V. haia.
4. Le Feugueret, château de Beuzevillette.
5. Apud Triquervillam viget traditio antiquæ abbatiæ Voti filiæ. — Egl. arr. Havre. II. 218.

« est un terrain... qui comprend, en bois et terres, plus de « deux lieues[1]. »

Nec mireris intra haie sepimenta extitisse prædia : enimvero, quandoque hominum ferarumque fiebat cohabitatio, teste Henrico Huntindoniensi : « Ivit rex (Henricus I), « inquit, ad Wodestoc, ad locum insignem, ubi... cohabita« tionem hominum et ferarum fecerat[2]. »

17. Quæ pericula fuerint experti, quæ vota emiserint Walerannus de Mellento et Reginaldus de Gerponvilla, non obscure indicat charta fundationis inferius legenda; quæ monasterium mox ædificandum tum primum vocat *abbatiam de Voto* : « Hugoni Dei gracia Rothom. archiep. Galerannus « comes Mellenti salutem. Noverit universitas vestra me « dedisse *abbatie Sancte Marie de Voto*,... que sita est in « valle que est inter Lillebonam et Bollebec[3]... »

18. Abbatia Mortui-Maris sic « ab antiquo appelata fuit « propter inundationem fontium, qui inde oriebantur et « humo iterum mergebantur; et sic vallem quasi bitumen « effecerant, usque dum in rivulum derivarent[4]. »

« Id monasterium eremitis inhabitandum vir sanctitate « doctrinaque percelebris, nomine Alexander, in diœcesi « Rothomagensi, ad forestam *Delionis* recens fundaverat,

1. Arch. de la S.-I. fond du Valasse.
2. Henric. Huntind. 382.
3. Arch. de la S.-I. Valasse.
4. Gall. christ. XI.

« 1134[1], annuente Henrico Anglorum rege; sed desiderio « arctioris disciplinæ, ac Waleranni abbatis Ursicampi « sanctitate illectus, Cisterciense Institutum suscepit, sub « ejus cura. »

« Anno 1137, inquit Manriquez, abbas Alexander... domum « suam, scilicet Mortui-Maris, Ordini Cisterciensi conjun- « xit, et Walerannus abbas Ursicampi eam in filiam sus- « cepit[2]. »

Sic loquitur de Mortuo-Mari Robertus de Monte : « Hoc « tempore, venerabilis vitæ Alexander primus abbas Mortui- « Maris, se et domum suam tradidit abbati Ursicampi[3]. »

19. Rabel de Tancarvilla, filius Willelmi qui ecclesiam S. Georgii a Radulpho camerario ædificatam, ex prioratu Canonicorum abbatiam O. S. B. fecerat, patre orbatus anno fere 1124 vixit ad annum 1140[4].

20. Monasterium Mortui-Maris anno 1134[5] inchoatum absolvit seu fundavit Henricus I, eodem anno 1137, quo Alexander, primus abbas ejusdem cœnobii, domum suam Ordini Cisterciensi cunjunxit[6]. Rabel autem de Tancarvilla

1. Gall. christ. XI.
2. Manriquez, Annales Cistercienses. 1136. cap. IX. 319.
3. Robert. de Monte ad ann. 1138.
4. Essai sur l'église et l'abb. de S. Georges de Boscherville. — Deville, 1827.
5. Gall. christ. XI.
6. Manriq. Annal. Cist. ad ann. 1136. — Chronicon triplex et unum, 10. — Robertus de Monte ad ann. 1138. — Duo posteriora Chronica assignant annum 1138.



Ch.in du Vallasse à C
Logis

obiit anno 1140[1], antea tamen vocaverat fratres Mortui-Maris. Quibus ita comparatis, certum est monachos Cistercienses, discipulos S. Bernardi apud Mortuum-Mare, capellam S. Petri de Faveris subiise intra annos 1137 et 1140.

21. Quando septum claustrale monasterii de Voto simulque agri circumpatentes lineis descripta fuere, ineunte nostro sæculo, viri geometriam docti nomen agri dicti *le Favery, le Faveril*, quod a patribus acceperant, servaverunt et inscripserunt in ichnographia universali et publica regionis, cujus similitudinem, pro portiuncula Valassensi, delineavimus[2]. In altera autem antiquiori ichnographia[3], quam etiam lectori benevolo tum primum edidimus, *pomarium* monasterii, quod forsan olim latius extendebatur, agro cui nomen *le champ du Favery* adjacet.

22. Sancti Ægidii eremitarum Galliæ patris, et S. Mellonis archiepiscopi rotomagensis, qui solitudinem apud Hericurtum[4] supra ripam rivuli sibi delegerat[5], vestigiis inhærentes S. Gaucherius mellentensis, et Hugo de S. Joviniano auctor Insulæ-Dei, et Gualterius Malavis Vallis-ægrorum apud Bolbec fundator[6], procul ab hominum congressu se recepe-

1. Rer. gall. et franc. Script. XIV, 499.
2. Plan du Valasse, extrait du cadastre, pl. II.
3. Plan du Valasse, extrait d'un plan terrier de l'abbaye. Arch. de la S.-I. pl. I.
4. S. Denis d'Héricourt.
5. D. Pommeraye. Histoire des Arch. 44. — Egl. arr. Yvetot. II. 105.
6. Gall. christ. XI, 340.

runt. Horum exempla sectantes plurimi eremi cultores, per loca deserta vallium, se abdiderunt. Aliquot autem recessus ubi pius eremita, *sicut passer solitarius in tecto*, Deum olim excogitavit, solerti investigatione in lucem protulit noster D. Cochet. Siquidem intra fines Tiergevillæ, in quadam vallecula arboribus condensa, quæ ad magnam vallem Fiscanni veluti influit, medio saltu cui nomen *Le bois Tranchard*, duæ speluneulæ in vivo saxo latitant[1]. Et alibi, ineunte valle cui insidet Validus-Mons, ad latus collis cognomento *Vasouy* apud Collevillam, alia cella reperta fuit[2]. Solitudo autem Vallis-Ascii rivulis et silvis aptissima quæ mentem ad divina abriperet, sed antiquæ Romanorum viæ, quam eo tempore chartæ monasterii *Keminum regium*, vel gallice *la haulte rue* vocabant, proximior, ideoque a solitario deserenda.

23. Non mirum capellam *S. Petri de Faveris* ab eremita Vallis-Ascii desertam fuisse *propter guerras :* perlegenti enim veterum historias ab anno 1100 ad annum 1137, sæpius « cornua rauco strepebant cantu[3], » et « clamor, ut in « initio bellorum fieri solet[4],» intra colles Voti procul dubio personabat. Reipsa, anno 1101, « misit rex (Henricus I) « milites in Normanniam, qui... *prædis et combustionibus* non « minimam cladem rebus consularibus ingesserunt. Willelmus « vero consul Morteuil, causa perfidiæ ab Anglia exhere-

1. Egl. arr. Yvetot, II, 196.
2. Ibid. II. 174.
3. Henr. Huntind. ad ann. 1106.
4. Guill. Gemet. lib. VIII, cap. XXI.

« datus a rege, *in Normanniam* discedens animo perfecto et « exercitio ferventi, vir probissimus indixit et infixit regalibus « turmis *Werram calamitate refertam*[1]. »

Anno 1102, « *fax bellorum immissa Normanniæ*, perfidorum « admixtione, quasi regalibus alimentis animata convaluit, « *circumquaque posita corripiens*... » Robertus de Belesmo, cui comitatum Cantiæ renuerat rex Henricus, « indigna-« bundus et fremens Normanniam abiit. Ibi assultus... regiis « castellis irritus fecit[2]. » Inter autem castella regia erat Insulabona prope Valassiam.

1105, « Henricus perrexit in Normanniam contra fratrem « suum (Robertum) certatuturus, ... *cepit plurima castra* « et *omnes fere principes Normanniæ* regi se subdide-« runt[3].»

1106, « Cum rex obsedisset castrum Teuerchebrai... « captus est dux Normanniæ Robertus et Willelmus consul « de Mortuil... et anno 1107, cum *deletis et subjectis hos-« tibus* Normanniam pro libitu (idem Henricus I) dispo-« suisset, rediit in Angliam... ubi... *exhæredavit... Willielmum « Malet*[4]. » Captivos vero duxit « *comitem Moretonii*, et « *Willielmum Crispinum*... et *Robertum de Stutevilla*[5] », et pax reddita est « *miseræ provinciæ* quæ pene, per im-« prudentiam comitis prædicti (scilicet Roberti), *destructa « erat*[6]. »

1. Henr. Huntind. ad ann. 1101, 379.
2. Will. Malmesb. 157.
3. Henric. Huntind. ad ann. 1105, 379.
4. Ibid. 379.
5. Will. Malm. ap. Script. rer. angl. 227.
6. Will. Gem. lib. VIII, cap. XIII.

Anno 1112, *Willelmum Crispinum* adhuc rebellem « exulavit rex... a Normannia[1]. »

1124, Guillelmus I de Tancarvilla Walerannum de Mellento et Hugonem de *Munford sororium ejus* devicit et captivos duxit. Rex autem Henricus dominium comitis in Normannia invasit et castellum de Wattevilla captum solo adæquavit[2].

Illi autem milites, *Willelmus Crispinus, Robertus de Stutevilla et Willielmus Malet, Guillelmus de Tancarvilla, Walerannus de Mellento et Hugo de Monte-forti* et alii, quorum turres in proximo assurgebant[3], homines et currus per *Keminum regium et agros Valassenses* deducebant et magnam valde molestiam eremitæ afferebant.

24. Eo tempore quo fratres Mortui-Maris capellam S. Petri de Faveris occupavere, bello tota flagrabat Vallis-Ascli. Vix enim Henrici I, post venationem *in foresta Delionis* mortui, « corpus cultellis circumquaque desecatum, et multo sale « aspersum coriis taurinis reconditum est, causa fœtoris « evitandi[4]... » Cum « jam cœpit rabies Normannorum per- « jurio et proditione pullulare, 1135. »

Et anno 1136, « rex Stephanus transfretavit in Norman- « niam,... ubi... martiis altercationibus assolitus omnia « quæ incœpit luculenter perfecit, *hostium circumventus* « *repulit, hostilia castella depulit*[5]... »

1. Henr. Huntind. 380.
2. De la Roque, t. I.
3. W. Crispini apud Beccum-Mauritaniæ — R. de Stutevilla supra Validum-Montem — W. Malet apud Gerardivillam.
4. Henric. Huntind. 386.
5. Ibid. 387.

Anno autem 1137, idem rex Stephanus « rebellantem « Rabellum (de Tancarvilla) bellico robore impetiit, et oppida « ejus *Juliambonam*, Willeriasque[1] et Mansionem-Odonis[2], « et per se aut per auxiliarios, cum familiis suis, ferro et « flamma expugnavit[3]. »

Juliambonam autem *captam* belli pretium retinuit. Ita ut Guillelmus Malneno, cum socio vix adveniens, medius staret inter milites camerarii reluctantes et anglos crinitos[4] oppugnantes. Itaque, camerario suadente, ambo *redierunt propter guerras*.

25. Richardus I dux Normannorum, filio Roberto comiti ebroicensi simulque archiepiscopo rotomagensi, partem dominii Insulæbonæ dederat, Mesnillum, Gravenchon, Lintot, etc., 990[5]. — Richardus filius Roberti archiepiscopi, comes ebroicensis, genuit Agnetem, quæ, comitatu ebroicensi et terris Insulæbonæ dotata, nupsit Almarico I de Monteforti. Hujus autem neptis, Agnes de Monteforti, domina de Gornaco[6], filia Almarici III comitis ebroicensis et soror Alma-

1. Villers.
2. Mesnil-Eudes.
3. Ord. Vital. ap. rer. gall. et franc. Script. XIV, 76.
4. Cum ex Anglia devicta redux Guillelmus Pascha celebraret apud Fiscannum, Normanni « cernebant crinigeros alumnos plagæ aquilonalis, quorum pulchritudini Galliæ comatæ formosissimi juvenes « inviderent : nec enim venustati puellari cedebant. » — Guill. Pictav. ap. Duchesne, 211. — Willelmus Malmesburiensis loquitur de « crinitis nostris (anglis), qui, obliti quid nati sunt, in muliebris « sexus habitum, capillorum longitudine, seipsos transformant... « longitudine capillorum cum feminis certabant. » — Will. Malm. 176.
5. Guillmeth. Lillebonne, 80.
6. Gournai-sur-Marne.

rici IV[1], haiam de Lintot et vallem Insulæbonæ, Waleranno comiti de Mellento, dotem attulit[2], anno 1140[3].

26. Agnes de Garlande, comitissa de Rochefort, Almarico III de Monte-forti comiti ebroicensi, cui nupserat anno 1120[4], peperit :

1o *Agnetem de Monte-forti* dominam de Gornaco, quam Walerannus duxit uxorem anno 1140[5], ideoque decem et novem annis, ut verisimile videtur, natam.

2o Almaricum IV, qui innuptus atque ideo adolescens vita functus est, anno 1140[6]. Almaricus iste « totam haiam de Lintot... cum sorore sua (Waleranno) donaverat[7]. »

3o Simonem III comitem ebroicensem, qui Almarici IV locum tenuit[8].

27. Hugo rotomagensis archiepiscopus per chartam, quam mox integram reperies, confirmat « totam haiam de Lintot, « ... sicut comes ebroicensis cum sorore sua illi (Waleranno) « donaverat[9]. »

1. De la Roque. — Moreri, V. Montfort.
2. Arch. de la S.-I. chart. ms. Waleranni, Hugonis archiep. Mathildis et Henrici II.
3. De la Roque — et Rob. de Monte apud. Script. rer. gall. et franc. XIV. 211, in notulis.
4. Moreri. V. Montfort.
5. De la Roque. Hist. de la mais. d'Harcourt, Table généalog. du livre III et IV, t. I.
6. Robert. de Monte ap. rer. gall. et fr. Script. XVI. 21. in notulis.
7. Charta ms. H. archiep. Arch. de la S.-I..
8. Moreri. V. Montfort. — et Will. Gemet.
9. Arch. de la S.-I. Ex Cartulario ms. abbatiæ de Voto. t. I.

Ipsa Agnes, soror Almarici IV comitis ebroicensis, hanc *elemosinam*, quia sibi dotem acceperat, sequenti charta confirmat abbatiæ de Voto.

Charta Agnetis comitissæ Mellenti, de haia de Lintot[1].

« Hugoni Dei gracia rothom. archiep. et omnibus fide-
« libus sancte ecclesie tam presentibus quam futuris, Agnes
« comitissa Mell. salutem. Noverit universitas vestra me
« fundasse abbaciam Sancte Marie de Voto, de Ordine Cis-
« terciensi, que sita est in valle que est inter Lillebonam et
« Bollebec, pro anima Almarici comitis ebroicensis patris
« mei[2], et matris meæ[3] et antecessorum meorum, et pro
« salute comitis Mell. Gual. domini mei et mea, et Roberti
« filii mei et aliorum liberorum meorum[4] et amicorum.

1. Arch. de la S.-I. — Cartul. ms. I. f° 24. r°.
2. Almaricus III.
3. Agnes de Garlande comitissa de Monte-forti.
4. Agnes Waleranno peperit :
1° Robertum III de Mellento, dominum de Bellomonte.
2° Almaricum de Mellento, dominum de Gornaco, qui abbatiam Fontis-Guerardi O. Cist. fundavit, anno 1235. — Anselm. II. 408 409.
3° Rogerium de Mellento vicecomitem ebroicensem.
4° Walerannum de Mellento comitem de Worchester.
5° Hugonem de Mellento dom. de Blinchefeld.
6° Dreux de Mellento dominum de Boissemont.
7° Isabellam de Mellento, dominam de Craon.
8° Mariam de Mellento « femme de Hue Talbot, baron de Cleuville, seigneur de Hotot-sur-mer, d'Auffay et de dix autres lieux. »

« Huic autem abbacie dedi et concessi, in perpetuam elemo-
« sinam, *totam haiam de Lintot cum omnibus appendiciis*
« *suis*, per manum Gualeranni comitis domini mei, liberam
« ac quietam ab omni exactione et consuetudine seculari.
« Testibus, Philip. episc. bajocen.[1], Rotrold. episc. Ebroic.[2]
« et Robt. filio comitis, et Rod. de Novoburgo, et Rod.
« dapifero de Formov.[3], Will. de Pinu, Allan. de N. Villa[4],

9° Amiciam de Mellento dominam de Ferrières.
De la Roque hist. de la m. d'Harcourt. I. 69. — Anselm. qui quintum locum assignat Stephano de Mellento et sextum Hugoni. II. 405-406.

1. Philippus d'Harcourt, regis angliæ cancellarius. 1143-1165. — Gall. christ. XI. 361.

2. Rotroldus de Warwik episc. ebroicensis, 1141-1165. — Gall. christ. XI.

3. Prœdium, gallice Seigneurie, quod filiabus quibusdam gentis d'Harcourt nomen præstitit. Anselmus commemorat *Agnetem* dominam de *Formeville*, 1087. — Anselm. V. 125. — *Basiliam* dominam de *Formeville*, 1201. — Anselm. V. 127. — *Idam* de *Formeville* quæ nupsit Almarico secundo filio Waleranni de Mellento, 1235. — Anselm. II. 408-409.

4. Nova-villa, gallice, *Saint-Jean de la Neuville?* — Quærenti unde Nova-villa nomen duxerit respondeo, non quidem manuscriptis testimoniis, sed archeologia et vocabulorum discrimine fretus : — Ineunte vallecula, quæ vulgo dicitur *le Val d'Arques* et valli Bolbecensi influit, ad latus collis cui insidet antiqua abbatiæ de Voto grangia, *Le Mont-Criquet*, frondescit saltus quem Henricus II *Fractum-Monasterium* et monachi, sæculo proximo, vernaculo sermone, *Fresmoutiers* vocabant. — Charta ms. Henrici II. — Arch. de la S.-I. Valasse passim. — *Monasterium* illis temporibus dicebant quod nostris ecclesiam parochialem nominare solent (Redditus super tres *acras* terræ quæ « abotant ad Keminum per quod itur ad « *monasterium* parochie de Escreinville ». 1283. Arch. de la S.-I. Cartul. ms. Valasse. — Alibi, datur redditus « in terra sita ante *monasterium* parochie de Ebelont. — Yébleron.» 1237. — Cartul. ms. VI. f° 59. v°. — Anno 1218, notatur « La voye qui maine de Beauquesne

« Rad. de Mandavilla[1]. » — Iidem fere testes inferius affirmant eadem in charta Waleranni, fol. 53-54.

28. Anno 1067, Odo Stigandus, erga S. Barbaram pietate motus, agros, ecclesiæ collegialis ædificandæ causa, in *puram eleemosinam* dederat[2]. Filia autem ejus Agnete Rabel de Tancarvilla per matrimonium juncta, 1128[3], ipse decessit. Tunc camerarius dominium Stigandi et etiam agros S. Barbaræ invasit. « Facta est igitur super eum manus Domini, « quæ tanta subito raptorem ægritudine perculit, ut brevi, « desperantibus medicis, ad mortis fauces propinquaret. « Agnes uxor ejus admodum pia femina, deficiente omni « humano consilio, ad divinum se convertit; et nudis pedi- « bus ad ecclesiam S. Barbaræ veniens, coram sacris reli- « quiis salutem viro suo deprecatura, in orationem se pros- « travit, et indignationem pro misericordia, ex ipsarum « reliquiarum miraculoso fremitu, deprehendit[4]... » De

au *Moustier* de Normanville.» — Cartul. ms. V. f° 2. v°. : Monasterium igitur eo loco extructum seculorum injuria, sive milites in pago caletensi inter se decertantes, sive, quæ opinio magis arridet, Normannorum turmæ diruerunt. Incolæ autem ex adverso, agris patentibus, monasterium novum *S. Johanni dedicatum* novasque domos ædificantes, *Novam-villam* dixerunt, inde gallice, Saint-Jean de la Neuville. Reliquiis autem monasterii diruti nomen inditum est, *Fractum-Monasterium*.

1. Eodem tempore notantur :
« Guillaume de Mandeville comte d'Essex, mort le 4 nov. 1190.—
« Anselm. II. 489. — Et Guillaume de Mandeville comte d'Essex et
« d'Aumale, mort en 1189. — Ibid. II. 877. »
2. Neust.-pia. 717.
3. Deville. — Essai sur l'Egl. et l'abb. de Saint-Georges de Bosch.
4. Rer. gall. et fr. Script. Ex Act. SS. XIV. 499.

minaci S. Barbaræ nutu certior factus Rabel vovit, si sanus evaderet, se agros prioribus ampliores redditurum. Ægrotus autem morbum depulit, postea votum implevit[1] et domum S. Barbaræ ædificandam tradidit cuidam eremitæ, Guillelmo de Ebroicis, qui primus Prior evasit[2].

29. Confer cum tab. I, gallice Pl. I.

30. « He occurs as a Witness to Waleran de Mellent's « foundation charter of Valasse abbey in Normandy, who « died in that year, 1165; Haymo died in 1188[3]. »

31. Cautio est : « Securitas data pro quavis re facienda[4]. » Prima charta Waleranni, quæ Haymonem testem habet, frustra perquisita deest. Doctissimorum Patrum Labbæi, Arturi et aliorum investigationes fefellit. Quam obliteratam suspicamur in cartulariis vel obsoleto codice anglorum; datamque fuisse circa annum 1150, ex itinere hierosolymitano quod anno 1149 finem habuit, conjicimus.

Memorem animum in benemeritum D. H. O. Coxe præstare juvat : quippe qui in bibliotheca Bodleiensi, cui doctissime præest, et in ecclesiæ cathedralis de Worcester cartulariis, frustra quidem sed promptissima maximaque benevolentia chartam nostram perquisivit.

1. Rer. gall. et fr. Script. xiv. 499.
2. Neust. pia, 717-724.
3. Dugdale's Nomasticon angl. novum. V. 407.
4. Ducange. V° *Cautio.*

32. Duo comitis capellani, *Rog. de Allers* et *Peregrinus*, testes apponuntur in duobus chartis, quarum prior *clausum de la Plastrere* apud valles, et unum hospitem ad custodiam vinearum concedit *in perpetuam elemosinam*, abbatiæ de Voto; posterior autem totam vineam *que* dicitur *de valle comitis*... et unum burgensem in burgo Pontis-Audomari [1].

33. In Capitulo Generali, anno 1134, statutum est: «Si cui « locus ad abbatiam construendam oblatus fuerit, non præ- « sumat accipere, nisi prius eum distare a cæteris abbatiis « Ordinis nostri decem leucis Burgundiæ pro certo cogno- « verit. Si tamen ibi congregatio fuerit, per assensum Cister- « ciensis abbatum Capituli, illum poterit accipere. Grangiæ « autem diversarum abbatiarum distent inter se ad minus « duabus leucis [2]. »

34. *Charta Waleranni comitis Mellenti* [3].

«.H. [4] Dei gracia rothom. archiep., et omnibus fidelibus sancte Ecclesie tam presentibus quam futuris, G. [5] comes Mell. salutem. Noverit universitas vestra me dedisse abbacie Sancte Marie *de Voto*, de Ordine Cisterciensi, que sita est

1. Chartæ ms.—Arch. de la S.-I. Valasse.
2. Manriquez, Annal. Cister. 276.
3. Ex Cartul. ms. I. 23. recto.— Arch. de la S.-I. Valasse.
4. Hugo III. Ambianensis, 1130-1165.
5. Gualerannus.

in valle que est inter Lillebonam et Bollebec, pro anima patris mei[1] et matris meæ[2] et antecessorum meorum, et pro salute mea et *Agnetis comitisse* uxoris meæ, et Roberti filii mei et aliorum liberorum meorum, et amicorum vivorum et mortuorum, in perpetuam elemosinam, *totam haiam de Lintot* cum omnibus appendiciis suis, sicut *comes ebroicensis cum sorore sua Agnete comitissa michi donaverat, quando eam in matrimonium duxi,* cum omnimoda libertate, nichil in ea sui juris retinens. Et quia Bernacense monasterium in illis partibus agros affines, cum capella Sancti Marcelli, possidebat, sine quibus abbacia prefata non posset ordinate fundari[3], donavi Ricardo[4] abbati de Bernaco et fratribus ejus, in concambium, septem acras terre arabilis in eodem territorio et triginta solidos probate et usualis monete in assignatis terris et hominibus[5] annuatim persolvendos, et quinque asinos ad mortuum boscum, absque omni consuetudine reddenda, in foresta de Floteneio[6], per manum predicti archiepiscopi, in presencia Arnulph.[7] lexov. episc.

1. Robertus de Bellomonte.

2. Elisabeth Viromanduensis.

3. Sic statuerat Capitulum Generale anno 1134 : « Grangiæ... diversarum abbatiarum distent inter se ad minus duabus leucis. » — Manriq. Annal. Cist. 276.

4. Bernaci quintus abbas Richardus I fiscannensis. 1142-1169. — « Quos Bernaicus in capella S. Marcelli possidebat agros permutavit « Richardus cum Gualeranno Mellenti, pro fundanda abbatia de « Voto. » — Gall. chr. XI, 831.

5. « Homines : « Servituti glebæ obnoxii, qui censum debent de « capite. » — Ducange, V. homines.

6. Apud Neust. pia legitur : « de *Floreneio.* »

7. Arnulfus episc. lexoviensis 1141-1182. « Cruce signatos comi- « tatus est anno 1147. » — Gall. christ. XI. 774.

et Ade[1] abbatis Mortui-Maris et aliorum plurimorum religiosorum in perpetuum. Test. Philip.[2] episc. bajoc. et Rotrold.[3] episc. ebroic. et Robert.[4] filio comitis et Robert. de Novo-burgo, Rod. dapif. de Formovil., Will. de Pinu, Allan. de N.-Villa, Radulp. de Mandav., Rod. de Brion., Radul. Harenc.

35. « Filiam Matildem ex Matilde susceptam dedit rex « Henricus Henrico imperatori Alemaniæ[5].

« Missi sunt ab Henrico imperatore romano nuncii, mole « corporis et cultuum splendoribus excellentes, filiam regis « (Henrici) in domini sui conjugium postulantes. Tenens « igitur curiam suam apud Londoniam, quam nunquam « splendidiorem tenuerat, sacramenta depostulans de con- « nubio filiæ suæ, ab imperatoris recepit legatis ad Pente- « costen[6]... »

« Rex Henricus Willelmum et Mathildam genuit quam « imperatori Henrico juniori dedit, anno Domini M.C.X.[7] »

36. Mathildis « filia regis Angliæ exhibebat patrem fortitu-

1. Adam. 1138-1154.— Chronic. tripl. et unum.— Gall. christ. XI.
2. Philippus d'Harcourt filius Roberti d'Harcourt et Coletæ d'Argouges, 1143-1164.
3. Rotroldus de Warwik. episcopus ebroicensis. 1141-1165.
4. « Robert III fit beaucoup de biens à divers monastères, et fut « présent à plusieurs chartes des rois d'Angleterre ducs de Normandie, depuis l'an 1163 jusqu'en 1199. » — Anselm.
5. Will. Malmesb. 166.
6. Henr. Huntind. 379.
7. Guill. Pictav. ap. Duchesne, 213.

« dine, matrem religione. Contendebat in ea pietas industriæ, « nec quod magis probares discerneres facile[1].

37. « Anno 1127,... post Pentecosten... Misit rex (Henri- « cus) filiam suam in Normanniam, jubens eam, per rotho- « magensem Archiepiscopum, desponsari (Gaufrido) filio « Fulconis (Andegav. comitis)... Nec distulit quin ipse quoque « Normanniam navigaret eosque matrimonio cunjungeret[2]. »

38. « 1142, Rex (Stephanus) obsedit Imperatricem apud « *Oxineford,* post festum S. Michaelis usque ad adventum « Domini[3]. »

« Interea, inquit Willelmus Malmesburiensis, rex (Stepha- « nus)... inopinato casu *Oxeneford* civitatem concremavit « et castellum, in quo cum domesticis militibus Imperatrix « erat, obsedit : ita scilicet obfirmato animo ut nullius spe « commodi, nullius timore detrimenti, discedendum pronun- « tiaret, nisi castello reddito et Imperatrice in ditionem « suam redacta[4]. »

39. « Imperatrix... abbatiam, eo quod eam voverat, *Votum* « appellavit[5]... »

40. « Non procul a Natali (die vicesima decembris) aufugit

1. Will. Malm. 170.
2. Will. Malm. 175.
3. Henr. Huntind. 393.
4. Will. Malm. 192-195.
5. Rer. gall. et franc. Script. XIV. 512. — Ex Actis SS.

« Imperatrix (a Stephano apud Oxineford obsessa) per « Tamasim glaciatam, circumamicta vestibus albis, rever- « beratione nivis et similitudine fallentibus oculos obsiden- « tium. Fugit autem ad castellum de Wallingford et sic « *Oxineford* regi tandem reddita est[1]. »

Willelmus Malmesburiensis rei seriem sic texuit : «... Nun- « tium allatum est egressam Imperatricem ab obsesso « castello Oxeneford, et apud Wallingeford tuto manere... « Modum sane liberationis Imperatricis gratanter apponerem, « si pro certo compertum haberem. Est ergo *evidens Dei* « *miraculum*. Illud satis constat quod metu advenientis « comitis[2], obsessoribus plurimis apud Oxeneford, quo « quisque potuit, dilapsis, reliqui laxiores custodias et « remissiores excubias fecere... Qua re ab oppidanis anim- « adversa, Imperatrix cum solis quatuor militibus per pos- « terulam egressa amnem transiit. Mox, ut nonnumquam et « fere semper necessitas et remedium excogitat et audaciam « subministrat, pede Abbadoniam profecta, hinc ad Walling- « ford equo subvecta est[3]. »

41. ...... Robur, et æs triplex
Circa pectus erat ......

Mathildi, quæ, patre Henrico defuncto 1135, regnum Angliæ fraude Stephani amissum, comitantibus tantum cen-

1. Henr. Huntind. 393.
2. Scilicet Roberti fratris Mathildis, qui, redux ex Normannia, multos milites ad Oxineford subsidio ducebat. — Will. Malm. 192.
3. Will. Malm. 192-195.

tum et quadraginta militibus, recuperare tentavit, 1140; regem captum in vincula conjecit et Londonio potita brevi tamen in fugam versa est, apud Oxeneford obsessa et in Normanniam retrusa. Postea autem jam non armis sed consiliis Stephanum oppetiit : et Henricum filium « sexdecim annorum juvenem », qui « receptus a proceribus Normanniæ, patre Gaufrido comite Andegavensium jam mortuo factus est dux, » immisit in Angliam. Ille « insperatus advolavit in medio « hyemis, per mare tempestuosum, » et post prælia multa pacem cum Stephano habuit[1]. In hoc autem difficillimo rerum statu, Mathildis Henricum auctoritate et consiliis gubernabat et ita filio prudentia et animi robore reverentiam incutiebat, ut Henricus jam rex Angliæ a conquirendo regno Hiberniæ desisteret, « quia matri ejus « Imperatrici non placuit... illa expeditio[2]. »

42. Mathildis, cum filius Henricus jam esset dux Normannorum, anno igitur 1151 saltem currente vel potius transacto, et anno 1152 nondum peracto, ut ex charta Hugonis archiepiscopi patebit, prima dona abbatiæ de Voto impertita est. Quas quidem largitiones solum per chartam archiepiscopi novimus : dederat autem *Vallem* in qua situm est monasterium et *quinquaginta acras terre in foresta Fiscanni*[3].

43. Hugo rotomagensis archiepiscopus donis Mathildis et Waleranni in unum collatis, monasterium de Voto, sub

1. Henr. Huntind., 397-398.
2. Chron. Norm. apud Duchesne 991, anno 1154.
3. Charta ms. Hug. arch. rotom. Arch. de la S. I.

sancte rotomagensis Ecclesiæ protectione susceptum, canonice erexit anno 1152.

Charta Hugonis rotomagensis archiepiscopi[1].

« Hugo[2] Dei gracia rothomagensis archiepiscopus, omni-
« bus sancte Ecclesie fidelibus tam presentibus quam futuris
« in perpetuum. Noverit universitas vestra nos monasterium
« Sancte Marie de Voto, quod situm est in valle que est inter
« Lilebonam et Bollebech, sub nostra et sancte rothomagensis
« Ecclesie protectione speciali caritate suscepisse et presenti
« scripto confirmasse : statuentes ut quascumque possessio-
« nes, quecunque bona idem monasterium juste et canonice
« possidet in presenti, vel in futuro quibuslibet justis modis
« Deo annuente poterit adipisci, eidem firma et illibata per-
« maneant. In quibus hec propriis duximus exponenda nomi-
« nibus : vallem siquidem in qua prefatum monasterium situm
« est, cum aisiamentis omnibus in foresta de Insulabona ;
« quinquaginta acras terre in foresta Fiscanni cum omnibus
« item aisiamentis ejusdem foreste. Que omnia, a nobilissima
« imperatrice Mathildi Henrici regis filia, eidem monasterio in
« perpetuam elemosinam per manum nostram, cum omni-
« moda libertate donata sunt. De donatione autem Guale-
« ranni illustris comitis Mellenti, item per manum nostram,

1. Ex Cartulario ms. — Arch. de la S. I. — Valasse.
2. Ab anno 1128 ad ann. 1165 Ecclesiam rotom. rexit.

« totam haiam de Lintot, cum omnibus appendiciis suis, *sicut* « *comes ebroicensis cum sorore sua illi donaverat,* quando « eam in matrimonium duxit. Et quia Bernacense monaste- « rium in illis partibus agros affines, cum capella S. Marcelli « possidebat, memoratus comes Mellenti donavit Ricardo[1] « abbati Bernaci et fratribus ejus, in commutationem et con- « cambium, septem acras terre arabilis in eodem territorio, « et triginta solidos probate et usualis monete, in assignatis « terris et hominibus, annuatim persolvendos; et quinque « asinos ad mortuum boscum, absque omni consuetudine « reddenda, in foresta de Floteneio, quam tenet de eodem « monasterio de Bernaco. In presencia nostra et Arnulphi[2] « lexoviensis episcopi, et Ade[3] abbatis Mortui-Maris et alio- « rum multorum in perpetuum. Si quis autem hanc nostre « constitutionis paginam sciens contra eam, quod absit, ne- « faria temeritate venire, et prefatum monasterium Sancte « Marie de Voto improbe pertubare aut illius bona minuere « vel auferre vel quibuslibet molestiis fatigare presumpserit, « indignationem Dei et omnium Sanctorum maledictus in- « currat, et ab ea hereditate, que fidelibus promissa est, « nisi resipuerit, in perpetuum maneat alienus. Actum est « hoc anno ab Incarnatione Domini M. C. quinquagesimo II. « Presidente sancte romane Ecclesie Eugenio III[4], princi- « pante in Normannia magnifico duce Henrico[5]. »

1. Ricardus abb. Bern. moritur anno 1169.
2. Arnulphus lexov. episc., 1141-1182. — Gall. christ. XI.
3. Obiit anno 1154.
4. Eugen. III. 1145-1153.
5. Henricus dux factus est 1151, VII Id. sept. — *7 Sept.,* — rex autem Angliæ, anno 1154, VIII° kal. novemb. — *25 octob.*

44. Anno 1140, Rabelli patris locum ceperat Guillelmus II de Tancarvilla, dictus *Junior*, qui ad annum 1173 vixit[1].

45. « Tertia sororum Gunnoris comitissæ nupsit Osberno « de Bolbec, ex qua genuit Galterium Giffardum pri- « mum...[2] »

« Galterius Giffardus II Buckinghanniæ comitatu a Guil- « lelmo Notho donatur 1089, ... anno 1102-1103 moritur et « in Normanniam delatus Longævillæ sepelitur. »

« Galterius Giffardus III, de quo Chronicon Valassense, « Henrico I in prosperis et in adversis inhærens, contra « Francos, anno 1119, in prælio Brennevillensi decertat[3]. » « Patrem fide referens qui « destinatum a Guillelmo II Angliæ « rege in Normanniam, contra Robertum ducem, exercitum « suis municipiis » *admiserat* 1097, et eidem regi Wilcassi- « num pagum sibi vindicare satagenti » *militaverat* 1101[4], dignus saltem fuit cui Mathildis et dux Henricus commit- terent Insulambonam custodiendam, quæ tunc temporis in eorum ditione manebat. Hoc enim castellum, contra Ra- bel rebellantem a Stephano, 1137, expugnatum, in dominio regis remanserat[5], et anno 1151, dominium ducis evaserat :

1. Rer. gall. et franc. Script. XIV. 499.
2. Rer. gall. et franc. Script. XII, 385. Adnotavit D. Brial.
3. Order. Vit. apud Rer. gall. et franc. Script. XII.
4. Order. Vit. apud. Rer. gall. et franc. Script. XII.
5. « Rebellantem Rabellum bellico robore impetiit et oppida ejus « Juliambonam... obsedit et per se aut per auxiliarios, cum familiis « suis, ferro et flamma expugnavit... » — Rer. gall. et fr. Script. XIV, 76.

nam, anno 1153, pactum inter Mathildem et Stephanum convenit :

1o Stephanum, dum viveret, imperio usurum.

2o Henricum ducem Normannorum futurum regem Angliæ.

3o Guillelmum Stephani filium *potiturum* in Anglia amplissimis prædiis, in Normannia comitatu de Moritonio, *et in Caleto, toto dominio quod ad Insulambonam attinet*[1].

Unde, castellum Insulæbonæ, antea dominium camerarii de Tancarvilla, ab anno 1137 ad annum 1153 dominio regis et postea ducis adscriptum, interea autem Galterii Giffardi fidei virtutique commissum fuisse, pro certo habeas.

Benevolentia Galterii Giffardi erga abbatiam de Voto subsequenti charta probatur.

Charta Galterii Giffardi[2].

« W[3]. comes Giffardus omnibus suis salutem. Notum sit « vobis omnibus quod ego prebeo Deo et Sancte Marie de « Voto, et monachis ibidem Deo servientibus, quoddam « pondus salis[4] in redditu Hugonis filii Osberti, pro anima- « bus patris et matris meæ, pro mea et Ermengardis comi-

1. Deville. — Essai sur Saint-Georges de Boscherville, 99-111.

2. Charta ms. apud Arch. de la S.-I.

3. Walterius.

4. « Ex dono comitis Giffardi, unum pondus salis *apud Luram.* » — Charta ms. confirmativa Urbani III. apud Arch. S.-I.— « *Lheure* est « un village sis près le Havre, sur le bord de la Seine. Il percevait « des droits sur toutes les marchandises qui venoient par mer et « faisoit du sel sur son territoire, qu'il vendoit. L'abbaye du Valasse « avoit une partie de ces droits et y possédoit aussi un espace de

« tisse atque propinquorum et amicorum meorum. T. Erm. « comitissa, Ric. Capellano, Baldewino Clerico, Rad. de « Trublevill., Elia de Long., Eustachio de Quivilla, Henrico « de Herecort, Widone de Rochefort, Andrea de Beusemon- « cel, Will. Cocherel, Robt. de Buivilla, Matheo de Nova- « villa, Will. de Bolevilla, Radulfo de Valle. »

46. In ipsa valle, inter Insulambonam et abbatiam de Voto, familia de Bequet[1], cujus cognomen adhuc super est[2], domum[3] et curiam habebat[4].

In collibus autem circumstantibus varia exurgebant

« terrain, sur lequel elle faisoit faire du sel. La tradition dit qu'une « partye de la Citadelle du Havre est bâtie sur ce terrain. » — Défenses des droits de l'abbaye sur 22 minots de sel, par D. Orillard, prieur, 1733.— Apud Arch. de la S.-I.

1. Familia de Bequet sæpius occurrit, tam dono quam *pecunia numerata*, conferens monachis Valassensibus *redditus vel hereditagia* inter abbatiæ *fossas* et S. Dyonisium de Insulabona : pro multis Lectori trado Johannem Den de Bequeto, qui vendidit abbatiæ de Voto, ad usum portæ, XII denarios tur... in tenemento meo, inquit, quod teneo de dictis religiosis « *apud Beketum*, in parochia S. Dionisii de Insulabona... et adcapitat ad terram Anfredi *de Beketo* defuncti... » 1274. — Charta ms. et cartular. ms. abbatiæ de Voto, passim. Apud Arch. de la S.-I.

2. Viculus, cui nomen *le Becquet* monasterio de Voto adjacet.

3. Inter Juliambonam et abbatiam de Voto, circa fontem rivuli nomine le *Becquet*, in ipso dicam viculo qui le *Becquet* vulgo dicitur, via, quam anno 1832 sternebant, fundamenta rudibus saxis constructa nudavit. In campis adjacentibus substructa mœnia latent; agrum exaranti, sulco medio, hæret etiam frangitur vomer; jamque agellus ille, ut ait Plinius, fit vervactum, *injussisque graminibus antiquissima forsan castelli de Becquet supervestit fundamenta?*

4. *Anfridus de Beketo* quoddam *jus* concedit Roberto Hyrel de Bequet : « Ita quod... Robertus et sui heredes debent esse *ad mea*

castella. Ibi degebant milites de Huchentot[1], de *Lintoth*[2], de Feukerei[3], d'Esmalleville[4], de Lanquetot, de Raphetot[5], de Boseville[6], d'Abtot[7], de Gravenchon[8], de

placita, semel in anno, *ad meum custum in mea curia...* » 1223. — Charta ms. — Arch. de la S.-I. Valasse.

1. Robertus de *Huchentot* testis adest in chartula abbatiæ de Voto, anno 1225. — Chart. ms. — Arch. de la S.-I. Valasse.— Huchentot parochiæ quæ gallice dicitur la Trinité-du-Mont adjacet, et, inter *fundos* de Cruchet, *Huchamptot* inscribitur.

2. Guiscardus de *Lintoth* confirmat terras et redditus datos abbatiæ *per manum* G. de Folbuisson et aliorum quorumdam.— Chart. ms., — siletur annus. — Arch. de la S.-I. Valasse.

3. Johannem de *Feukerei* invenies testem in chartula abbatiæ de Voto, regnante Vincentio scripta, 1190-1212. — Chart. ms. — Arch. de la S.-I. — Et Willelmum de *Feukerei* in quadam *compositione* facta anno 1218. — Chart. ms. — Arch. de la S.-I. — Et eumdem Willelmum filium Johannis de *Feukerei*, anno 1226. — Chart. ms.— Arch. de la S.-I.

Castellum autem de *Feukerei*,— Le *Feugueret*— intra fines Beuzevillettæ in tabula geographica Nicolaï notatur.

4. Quæ gens sæpius inter benefactores et testes nominatur in chartis quibus dies non apponitur.— Cartul. ms. II. passim.— Arch. de la S.-I. — Anno autem 1414, Guillelmus d'Esmalleville dicitur dominus de Calletot.— Cartul. ms. II.

Calletot *feudum* est supra Bolbec, ad orientales colles, ex adverso castelli de *Fontibus*.

5. Willelmus d'Esmalleville miles confirmat tres *acras* terræ apud *crucem de Follebarbe*, testibus « Roberto Caletot de *Raffetot*, Roberto « de *Lanquetot*... militibus. — Cartul. ms. siletur annus.

6. Willelmus et Johannes de Boseville. Prior dat X solidos redditus assignatos in *Molendino de Bosco;* — Cartul. ms. annus non adscribitur.— Posterior confirmat supradictum redditum, *in Molendino de Bosco de Grochet*, 1239. — Cartul. ms. I.

7. Robertus de Abetot, miles, dedit abbatiæ de Voto tres solidos in Molendino de Grochet, 1233. — Cartul. ms. I.

8. Robertus de Gravenchon, miles, testis scribitur anno 1307. — Cartul. ms. III.

Milleville[1], de Fontaines[2], comes Boloniæ[3] et alii quorum chartæ benevolentiam testantur.

1. Redditus super molendinum *Raul*, *Raol*, *Raoul* et *magnum molendinum* de *Bollebec*, abbatiæ assignati fuere ab Hugone de Milleville, 1210, et Johanne de Milleville, 1213. — Cartul. ms.

2. In chartula cujus annus siletur, duæ *masuræ* dantur a Mathilde *de Fontibus*, apud *Bollebec;* testibus, Matheo sacerdote de *Bollebec*, Roberto de Esmalleville milite. — Charta ms. et Cartul. II.

3. *In Caleto*, totum dominium quod ad Insulambonam attinet, Guillelmo comiti Boloniæ filio Stephani, ut dictum est, mortuo Stephano 1154, restitutum est. Comitibus autem Boloniæ erat domus apud Gravenchon. Etenim si ecclesiam S. Mariæ de Gravenchon — *Notre-Dame de Gravenchon* — pertransieris, rupibus abruptis, de quorum pede fons vivus emanat, saltus umbrosus eminet, in loco qui dicitur gallice *Les Fontaines*. In saltus margine perducuntur fossæ ad altitudinem viginti et etiam triginta pedum; quas olim fulciebant silicea mœnia, nunc solo adæquata et radicibus hæderum vel arborum obtecta. Quam domum de Gravenchon incolebat Reginaldus de Dammartin, cui comitatum Boloniæ dotem attulerat Ida Boloniæ comitissa, neptis Guillelmi filii Stephani, de quo supra diximus : — *Moreri*. V° *Boulogne-sur-Mer* — Reginaldus enim de Dammartin comes Boloniæ, in quadam *concordia* cum Vincentio abbate de *Valace*, concedit ducentas triginta *acras* terre, cum *alta et bassa* justicia, « ... Salvo jure vicarii S. Eustachi... Actum est hoc, inquit, « anno incarnacionis dominice M.C.IIII^{xx}.XV, mense marcio *apud* « *Gravanchon* ». — Cartul. ms. — Arch. de la S.-I. — Eamdem domum commemorat de la Roque, his verbis : « Il se remarque, par des lettres de 1295, que le roi Philippe-le-Bel donne à Jean d'Harcourt *sa maison de Gravanchon* avec toutes ses appartenances. » — De la Roque.

Istæ autem 230 *acræ* terræ sunt *feudum* dictum *de la Barre*, apud S. Eustachium, — Archiv. de la S.-I. vidimus, anno 1357. — Quod ante *concordiam* prædictam tenebat Johannes de Beuzeville ; — « Donation de quatre sols de rente faite par noble homme Robert d'Aust, « sur le moullin Le Conte à lui vendu par messire Jehan de Beu- « zeville, chevalier, *jadis sire de la Barre*, *avant que ladite Barre* « *revint ès main desdits religieux*. » — Cartul. ms. II. — Nomen

47. Aupenais, hodie le Bourg-Baudouin. Arrond. des Andelys.

48. His verbis liquet Chronicon Valassense exaratum fuisse ut Cartulario præmitteretur. Agros autem S. Marcelli a Waleranno datos jam innotuit, per chartam comitis quam folio 53 legisti.

Quas autem controversias genuerunt chartæ Waleranni, de S. Marcelli permutatione, alia Valassii ab altera de Bernaco discrepantes, composuere postea Richardus de Moiaz abbas Bernaci et Vincentius abbas de Voto, his verbis :

« Noverint universi tam presentes quam futuri quod ego

gallicum *de la Barre, barra, pieu*, sonat septum *fustibus plantatis* cinctum ad venationem.

Ex adverso castelli de Gravenchon, non longe a villa quam, vulgo dictam *château de Gravenchon*, nuper ædificavit D. de Lillers, colli insidet conus quidam terrenus, per diversos aggeres assurgens ; quem circuit vallum demittens ad ima fundamentum. Opus Romanorum declarat D. Fallue ; — Mém. de la Soc. des Antiq. de Norm. IX. 276. — innominatum inscribit prudentissimus Cochet. — La Seine-Infér. histor. et archéol. 52. — Non longe autem ab hoc tumulo, a D. de Lillers inventa est silicea Celtarum securis. Utrum tumulus iste sit Celtarum sepulchralis aggeries, an castelli de Gravenchon veluti propugnaculum? Adhuc sub judice lis est. Te tamen Lector, monitum volo : 1° Neque in castris neque extra-castrorum aggeres tumulos vallatos in solo patenti congerendi morem apud Romanos viguisse, sed solummodo « molem vel tumulum ex lignis et glebis ac cespitibus extructum, ut in urbium an castrorum muros vel militibus vel « turribus mobilibus ascensus præbeatur. » — Vegetius, lib. IV. — 2° Siliceam securim, de qua supra diximus, a D. de Lillers inventam fuisse fere ad radices prædicti tumuli.

« Ricard. de Moiaz[1], Dei gracia dictus abbas Bernac., et « totus ejusdem loci conventus, abbati et monachis ecclesie « B. M. de Voto, pacis inter nos et concordie reformande « gracia, concessimus capellam S. Marcelli cum omnibus « agris affinibus, quos dudum ibidem possedisse dinoscimur; « et totum illud quod in ecclesia S. Thome de Grochet aut « nobis, aut ecclesie nostre de Bolebec[2], de jure videbatur « competere; et triginta solidos annui redditus, viginti scili- « cet in cunctis tenementis nostris et hominibus de dicto « Grochet : videlicet, in feodo Chisnel, in Tostano Guereline, « in Osberto Ysac, in Johanne Mdace et in Oino Chisnel, et « decem reliquos in molendino quodam[3] olim nobis, per

1. Nonus abbas Bernacensis « Richardus II de Moiaz. — Gall. chr. XI. — In quadam charta abbatiæ de Voto, quidam « frater Will. de Moiaz » testis apponitur donationis Willelmi de Angervilla, simul cum Roberto de Parco canonico de Gerarvilla. — Cartul. ms. IV, f° 20, v°.

2. Rogerius Porchet, Hugo de Bolbec, Walterus Sifland et Willelmus Duncius, Ricardus Fraisnel, Ada de Raphetot comitissa concedunt Bernaico ecclesiam de Bolebec « et decimam totius thelonei nostri de Bolebec, et omnium molendinorum nostrorum atque Bercuriarium, » capellam S. Martini... « Ante serenissimum regem Will. anno 1061, apud Illebonam, in concilio. » — Neustria pia, 401-402.

3. Molendinum de Bosco. — Duo molendina in chartis de Voto memorantur apud Gruchet, scilicet *molendinum de Bosco*, quod, quadraginta abhinc annis, Patres vocabant gallice, sicut audivimus, *le moulin Dubosc*; et *molendinum de Abetot*. Prius dederat Will. de Boseville : « Ego Will. de Boseville dedi B. Marie de Voto... X solidos assignatos in *molendino meo de Bosco*. — Chart. ms.— Arch. de la S.-I. — Præterea, anno 1239, Johannes de Beuzeville confirmat abbatiæ « redditum *molendini de Bosco de Grochet*. » — Cartular. ms. Arch. de la S.-I. — Posterius dederat Robertus de Abetot : « Ego Rob. de Abetot dedi B. M. de Voto tres solidos... in *molen-*

« transactionem et concordiam, ab eisdem assignatos, et « totam terram et nemus, quod *Longumfaiel*[1] dicitur, quod « eciam super illos vindicare nitebamur ; prout decem et « octo acras terre, sex videlicet ejusdem nemoris et duodecim « terre arabilis, juxta idem nemus, quas iidem monachi de « Voto nobis assignaverunt, pro finali pace et concordia, de « omnibus querelis que inter nos, aut jam dudum hinc inde « suborte sunt in illis partibus, aut possent deinceps subo- « riri. Ceterum si terram dictam, nobis transactionis inter- « ventu ab iisdem collatam, proprio labore vel sumptibus « coluerimus, de eadem terra decimam illis dare non tene- « bimur; Sin autem colono alicui pacto quolibet ipsam « terram colendam tradiderimus, tota decima predictis « monachis de Voto, de eadem terra, sine contencione aliqua, « persolvetur. Et ne supra predictis rursus hinc inde subo- « riatur contentio, omnia supra scripta, preter decem et « octo acras prenominatas, exceptis eciam parrochionatu[2] « dictorum hominum, et decimis quas in ipsis et eorum « tenementis solebamus percipere, absque juris nostri vel « rei alicujus retencione nobis in ipsis supra scriptis, pre-

« *dino meo de Grochet*, quod vocatur *molendinum de Abetot.* » — Cartul. ms. — Arch. de la S.-I.

1. *Longumfaiel*, gallice *le Hautfaieul*, invenies intra terram de Putemare, de Montpellier et crucem de Follebarbe, « quæ contigua « est terre monachorum de Putrismare. » — Cartul. ms. — Arch. de la S.-I. — Ego Johannes le Cornu... debemus B. M. de Voto, « super *longum fayellum*, quadraginta et tres solidos et undecim « denarios annui redditus. » 1270. — Chart. ms. et verso scribitur litteris contemporaneis. : « Grouchet — Putoismare, 1270. » — Arch. de la S.-I.

2. Parochiagium. — Jus parochiale. — Ducange.

« senti carta et sigillorum nostrorum appensione, pretaxatis « monachis de Voto, dignum duximus confirmanda. Actum « est hoc anno Incarnacionis dominice M. CC. III., IIII Id. « januarii apud Hauvill. in presencia domini Roberti comitis « Mell. coram domino Ricardo de Moiaz secundo[1] de Bernaco, « et domino Vincentio[2] de Voto, abbatibus, fratre Roberto « de S. Vincentio, et fratre Johanne Anglico monachis « bernac., et fratre Rad. cantore, et fratre Johanne de « Fiscampo de Voto converso, presentibus. Test. his, Hug., « de Wifrevill. monacho gemetic., Nicholao de Londa, « Nicholao de Tokevill., Waltero de Frollencort, Gaufr. « Landri, Will. de Bornevill., Willermo de Chaumont et « aliis quam pluribus[3]. »

Ecclesiam S. Thomæ de Gruchet, quam monachi Bernacenses in præfata concordia monachis Valassensibus relaxavere IIII Id. januarii 1203, abbatiæ de Voto confirmavit eodem anno, VI. Id. aprilis, Walterus Magnificus archiep. rotom. his verbis :

Charta Walteri arch. rotom. de ecclesia de Gruchet.

« Omnibus Christi fidelibus, ad quos presens scriptum « pervenerit, Walter[4]. Dei gracia rothom. archiep. salutem

1. Id est, Richardo II, quia Richardus I fiscannensis antea Bernaco præfuerat. 1142-1169. — Gall. chr. XI.
2. Vincentius 1190-1212.
3. Chart. ms. — Arch. de la S.-I.
4. Walterus gallice dictus Gautier le Magnifique. — 1184-1208.

« in Domino. Noverit universitas vestra nos divine pietatis « intuitu dedisse et concessisse, dilectis in Christo filiis « abbati et conventui Sancte Marie de Valacia, *ecclesiam « Sancti Thome de Grocet,* ad opus infirmitorii[1] ejusdem « abbatie, in proprios usus habendam et tenendam libere, « quiete et pacifice, cum omnibus pertinentiis suis in perpe- « tuam elemosinam, salvo jure pontificali, salva eciam « honesta vicaria que, ad eorum presentationem et nostram « concessionem, idoneo vicario eidem ecclesie in propria « persona servituro, conferetur. Ut autem hec nostra donatio « futuris temporibus perpetuam obtineat firmitatem, eam « presenti scripto et sigilli nostri munimine dignum duximus

1. *Kemino regio* contigua, abbatia de Voto hospites quam plurimos diu noctuque excepit, non modo sanos sed etiam infirmos, quibus corporis et animæ curam præbuit. Ædificavit enim non solum infirmitorium sed etiam capellam ad usum infirmitorii, testibus benefactoribus quorum dona me veracem prædicant. Anno 1225, Rogerus Patenostre, assensu Gaufridi militis filii sui, dat unam masuram apud S. Romanum de Collebos, « *infirmitorio pauperum* B. M. de Voto, « ad serviendam lampadem que singulis noctibus ardet coram infir- « mis pauperibus... Testibus Henr. de Sandouville, Rob. de Bose- « moncello — *Bernières* — militibus. » — Chart. ms. et Cartul. ms. IV f° 29 v°. — Arch. de la S.-I.

Anno 1228, capellam infirmitorii fabricabant monachi de Voto. Etenim, Beatrix de Ernustot, relicta domini Theobaldi de Ernustot militis, dat X solidos annui redditus, « ad serviendam unam lampa- « dem, que ardebit in capella infirmitorii... ecclesie de Voto, que in « honore S. Marie et S. Johannis evangeliste fabricatur... 1228... « Test. Joh. de Craismesnillo, Guilleberto de Castillon militibus.» — Cartular. ms. IV f° 22. — Arch. de la S.-I.

Anno autem 1247, jam dedicata fuerat prædicta capella : Robertus enim Hunfredi confirmat abbatiæ de Voto duos solidos, « quos dedi, inquit, in *dedicatione capelle S. Johannis de infirmitorio* ejusdem abbatie, ad luminare predicte capelle... » — Cartul. ms.

« roborare. Testibus Rad.[1] abbate de Insula Dei, Ric. priore « ejusdem domus, Rog. de Mala-Palude canonico rothoma- « gensi, magistro Joh. Britone, Laurentio et Rad. de sancto « Macuto clericis, fratre Hamerico converso de Mortuo-Mari, « Petro Blain cive rothomag. et multis aliis. Dat. per manum « Rob. de Sancto Nicholao capellani nostri et canonici « rothomag., Apud Daevillam[2], anno dominice Incarnationis « M. CC. tercio, sexto Id. aprilis[3]. »

Contentionibus de novo obortis propter agros et capellam S. Marcelli finem fecit pactum quod sequitur :

Charta Roberti archiep. rotom. de capella S. Marcelli, ecclesia de Gruchet, etc.

« R.[4] Dei gracia rothom. archiep. omnibus sancte matris « Ecclesie fidelibus, ad quos presens scriptum pervenerit, « salutem. Noverint universi quod controversia inter monas- « terium S. Marie de Voto diu versata, propter contrarietatem « cartarum comitis Waleranni quas habent in utroque « monasterio, hoc modo terminata est. In excambio capelle « S. Marcelli et agrorum contiguorum ad jus monasterii

1. Radulfus tertius abbas Insulæ-Dei, si credideris Galliæ chr. XI. 341, et secundus si Neustriæ piæ, 800.
2. Archiepiscopis rotomag. erat apud *Daevillam* villa, quam sæpius commemorat Odo Rigaltus in *Regestro visitationum*.
3. Charta ms. — Arch. de la S.-I.
4. Robertus Pullus 1208-1222.

« Bernac. pertinentium, Will.[1] abbas et conventus S. Marie « de Voto concesserunt, Willelmo[2] abbati et conventui de « Bernaco, homines de Grocet, scilicet, Will. Cuisnel, Oin « Cuisnel, Gilleb. Gernet, Rob. de Monte, Rob. Wales, « Torestanum filium Gerelini, Radulfum filium Will. filii « Oin et Johannem ejus cognatum, Letiam uxorem l'ignuel « et filium Girondi le Caron, cum redditibus illis quos redde- « bant tunc temporis abbacie Bernaci, quum hec concordia « facta est. Insuper addiderunt decem solidos usualis monete « in molendino de Grocet[3] ad terminum festi sancti Michael « reddendos in perpetuum et ecclesiam de Grocet cum « decimis et oblationibus et omnibus aliis pertinentiis suis. « Willelm. Vero de Rovill., presbiter ejusdem ecclesie, « reddet annuatim duodecim denarios de eadem ecclesia « abbatie Bernaci, et cum jam dicta ecclesia vaccaverit, « abbas Bernaci jus habeat perpetuum, ex nostra concessione, « alium presbiterum substituendi[4] ad commodum sui

1. Willelmus II, intra annos 1217 et 1218, — Apud Neust. pia — omittitur in Gall. chr. « Locus datus est in Neustria pia, inquiunt « doctissimi patres, cuidam Guillelmo cujus ne verbum quidem ullum, « sive in chartis, sive in indicibus Mortui-Maris qui Vitali constanter « octavum locum assignant. » — Gall. chr. XI.

2. Guillelmus II, decimus abbas Bernaci, notatur anno 1117. — Neustr. pia. — Omittitur in Gall. chris. XI.

3. Molendinum de Bosco quod supra notavimus.

4. Posterior procul dubio conventio intervenit : etenim abbas de Voto patronus ecclesie de Gruchet inscribitur in libro quem gallice dicunt : *Pouillé d'Eudes Rigaud :* Grouchet « abbas de Voto patronus, « valet 15. lib. paroch. 80. Maneserius presbiter presentatus a D.M.» — Mauricio 1231-1237. — Arch. de la S.-I.— Manesserium presbyterum de *Grouchet* testem refert chartula ms. anno 1270. — Arch. de la S.-I.

« monasterii. Preterea, pro hac commutatione, habebit « Bernaci ecclesia quinque asinos ad mortuum boscum in « foresta de Floteneio, ex dono Waleranni comitis Mell., « sicut carta ipsius testatur. Predicte vero carte, per quas « orta fuit dissentio, serventur illese propter alia que in eis « continentur. Test. his, Ric.[1] abbate de Bello-becco, Walt.[2] « abbate de Mortuo-Mari, Rob.[3] abbate de Valle-Richerii, « Victore[4] abbate de S. Georgio, Radulf. cancellario domini « regis, magistro Herberto, Rob. Capellano, Roger. de « Warvic, Helia de Warvic canonicis rothom. Ut autem hec « concordia coram nobis facta in perpetuum stabilis perma- « neat et inconcussa, eam presenti scripto et sigilli nostri « munimine confirmavimus[5]. »

49. Quidam Willelmus Torbert testis adest in charta Walteri de Thieboutot, qui confirmat « conventionem, que « est inter abbatem et conventum de Valace » et filium suum, — siletur annus.

1. Ricardus memoratur in Neustria pia, annis 1211, 1218, 1227, nulla mentio ejusdem in Gall. chr.

2. « Walterus notatur anno 1218, pro rebus abbatiæ de Valacia, » — Neust. pia, 781.— In Gall. chr. omittitur, sed ejus locus reperitur inter Humbertum qui gubernavit monasterium ab anno 1202 ad 1218, et Vitalem qui baculum suscepit anno circiter 1220.

3. Robertus omittitur in Gall. chr, et notatur in Neustria pia anno circa 1210.

4. Si credas Roberto de Monte, Victor sedebat anno 1157. Quem vita functum affirmat Gall. chr. ante annum 1211, vivum ostendit Neustr. pia sicut et ipsamet nostra charta ad annum 1218 : Sicque valde senex decessit e vita.

5. Chart. ms. — Arch. de la S.-I. — Ex supradictis, scripta fuit intra annos 1218-1220.

Alter Eustachius Torbert, miles, quem præcedentis filium suspicamur, notatur in cartulario Valassensi, III, anno 1238[1].

50. Vicarius est : *Campio, pugil* qui pro alio monomachiam « seu duellum, vel quodlibet aliud vulgare judicium exse- « quitur et experitur [2].»

51. Anno 1842, intra rivulum et *manerium* cui nomen S. Marcellus, antiqua sacelli fundamenta nudaverunt operarii quidam; et ex humo duo sepulchra lapidea et perantiqua effosa, et, cum operculis quibus lilia deaurata fuerant insculpta, irreverenter fracta fuere. Quæ omnia lineis descripta oculis subjicimus [3].

52. Willelmum de Moritonio testem adhibuit Mathildis imperatrix, quum sexaginta *acras* terræ, apud Parvum-Beccum, monachis de Briostel largita est[4]. — Iste Willelmus de Moritonio dinastes erat de Beuzevillette, ejusque castellum dicebatur *le Feukerei.*

53. Rabel pater Willelmi vita functus est anno 1140. — Willelmus II, *Junior* cognomine, castello de Tancarville potitus est ab anno 1140 ad annum 1173[5].

1. Arch. de la S.-I.
2. Ducange v° *Vicarius.*
3. Confer cum tab. II. *gallice* Pl. II.
4 Chart. ms. — Arch. de la S.-I. — Valasse.
5. Essai sur l'Égl. et l'abb. de S. Georges de Bosch. — Deville.— Ad calcem.


VI

54. Si perambulaveris valliculam quæ ab oriente ad occidentem, velut ore hianti ad monasterium Valassense tendit, reperies fontem gallice dictum *La Fontaine-Murée*. Fons iste, per rivulum canalibus fictilibus captivum, frigidas et perlucidas subducens undas, a fronte antiqui monasterii, tanquam tenuis imber effunditur super gramina. Si longius pertransieris, occuret eunti collis abruptus, via præcluditur, vallisque supina duas fauces a dextris et a sinistris velut brachia extendit. A sinistris autem, fauces longius procurrunt et ultra ecclesiam de Beuzevillette ad camporum patentium æquora tandem eriguntur. Ibi assurgebant olim turres et mænia castelli de *Feukerei*, fossis altissimis ambientibus quarum pars quædam alte demissa oculis subjicitur adhuc. Antiqui *manerii* locum cepit villa nova, facilis aditu et fronte mitior; prægrandis est ab intus et muri pretiosis vestiuntur lignis, quibus arma quidem præteriti temporis indicia insculpsit artifex, sed fidibus et tibiis et tympanis et pacificis olivæ ramis inserta. Dominus autem villæ, dominus Belloncle, non jam gladio, lancea, vel bipenni adeuntes excipit, sed omni obsequio prosequitur.

Feudum le Feugueret in charta Nicolaï scriptum nomen antiquissimæ familiæ de Feugueret præstat.

55. Contentioni, quæ diuturna fuit, finem fecerunt quidam abbates, Rotomagi, apud S. Laudum, anno 1218.

« Omnibus ad quos presens scriptum pervenerit, R.[1] de

1. Vel Richardus qui memoratur in Neustria pia, 714, annis 1211, 1218, 1227, vel, si Galliæ chr. fidem fecerimus XI, 301, Rogerius

« Bello-Becco, J.[1] de Bello-Prato, P.[2] de Valle-Richerii « abbates, R. de Pierreville miles et Math. Servei laicus « salutem in Domino. Ad omnium volumus noticiam perve- « nire, abbatem[3] et monachos S. Marie de Voto ex una « parte, et Willelmum Aguillum militem et Willelmum « filium et heredem ejusdem Willelmi ex alia, in nos com- « promisse super querelis que vertebantur inter eos, de « quibusdam terris et nemoribus que predicti Willelmus « pater et Willelmus filius petebant in haia de Lintot et in « ejusdem haie pertinentiis, a predictis monachis; et super « quodam molendino quod predicti monachi petebant a « predictis W. patre et W. filio, et predictas querelas, nobis « mediantibus de assensu parcium, per concordiam sic esse « terminatas : videlicet, quod abbas et monachi sepedicti « liti de molendino[4] in perpetuum renuntiaverunt, et pre-

de Cauville qui notatur annis 1211-1218, vel Radulfus qui obiit IV. kal. oct. 1222.

1. « Joscelinus, idem sane ac Martinus, nominatur 1210, 1211, 1231. Gall. chr. IX. 835.

2. Petrus I. notatur anno 1218. — Neustr. p. 828. — et in Gall. chr. XI. 447, legitur : « Petrus I. arbiter anno 1215 (1218) inter « Vitalem abbatem de Valacia et Guillelmum Aquilon militem... « Supererat adhuc anno 1223. »

3. Vitalis, 1216-1220.

4. In charta subsequenti legitur : « Molendino quod dicitur *molen- « dinum comitis* in ripparia de Bollebec. »

Robertus, quem rex Henricus I. ante regnum susceperat et comitem Glocestriæ fecerat, — Will. Malm. — hoc molendinum abbatiæ dederat; teste Henrico II qui confirmat : « Unum molendinum in « ripparia de Bollebec, ex dono comitis Glocestriæ, vocatum molen- « dinum comitis. » — Chart. ms. — Arch. de la S.-I. — Filius autem Roberti, Almaricus comes Glocestriæ, concedit abbatiæ de

« terea dederunt prefatis W. militi et W. filio suo centum « libras turonenses; predicti vero W. miles et W. filius ejus « similiter remisserunt predictis abbati et monachis, et « quietaverunt in perpetuum de se et heredibus suis, « omnem querelam quam habebant adversus predictos « monachos de predictis terris et nemoribus, et omne jus « quod habebant vel habere poterant et se dicebant habere « in eisdem. Concessum fuit eciam ab utraque parte quod « omnes querele, que mote erant vel moveri poterant hinc « inde usque ad diem istius compositionis, penitus in perpe- « tuum sopiantur et nunquam de cetero valeant suscitari : « ita quod utraque pars omnia, que possidebat tempore « composicionis, in pace et sine alterutrius reclamatione in « perpetuum habeat et possideat. Hanc autem composicio- « nem, sive concordiam, juravit utraque pars se in perpe- « tuum bona fide et inviolabiliter observare et tenere. In « autem hujus rei testimonio, presentibus litteris sigilla « nostra duximus apponenda. Actum est hoc anno gracie « millesimo ducentesimo X. VIII, in octava Omnium Sancto- « rum, apud Rothom., in monasterio S. Laudi, presentibus, « H.[1] Mortui-Maris et R.[2] de Trapa abbatibus; R. de Bello-

Voto medietatem ejusdem molendini apud Bollebec. « Ex dono, inquit, « venerabilis patris mei (scilicet Roberti)... et ex dono meo, aliam « medietatem dicti molendini. » — Cartul. ms. II. — Postea, anno 1248, Guido de Boudeville miles, abbati de Voto, de novo dabat quidquid habere poterat « in medietate molendini de Bollebec, quod vocatur molendinum *Leconte*. » — Cartul. ms. I.

1. Humbertus, 1202 1219. — Gall. chr. XI. 309. — Omittitur in Neust. p. 781.

2. Omittitur in Gall. chr. XI, 748, et in Neust. p. 790.

« Becco priore, R.[1] de Herefort, Rad. le Terrier, Will. « Pereir[2] et R. de Escreinville monachis de Voto; magistris « W. Orselin et R. de Laune, W. de Boleville., Th. de « Pavelei et R. de Jovinni, Will. de Bodeville[3] militibus; « Joh. de Curia, Waltero de Busc laicis et aliis multis. »

In pergameno, verso legitur : « Apud Lintot. — carta « arbitralis contra Willelmum Aguillon *dominum de Feugree* « — *Feuquerée* — de *haia de Lintot.* » hæc ultima verba eodem tempore, quo charta, scripta fuere[4].

Te autem, benevole Lector, certiorem volo dinastes de Beuzevillette, modo *de Feukereio*, *modo de Moritonio* dictos fuisse : itaque chartam Will. *de Feukereio* et Will. de *Moretania*, posteaque chartam confirmativam Roberti Pulli legendas trado :

Charta W. de Feukereio et W. Moretagne.

« Sciant presentes et futuri quod ego *Will.*[5] *Aguillon milles* « *de Feukereio*, filius Willelmi Aguillon, quicquid clamabam

1. Richardus de Herefort Vitalis abbatis de Voto locum cepit anno circiter 1220. — Gall. chr. XI.

2. Willelmus Perrier, — G. chr.— vel Perrière — apud Sammarthanos — abbati de Voto Richardo de Herefort successit anno 1227. — Gall. chr. XI.

3. Ipse, anno 1248, reddidit abbatiæ de Voto medietatem molendini *Leconte.*—Cartul. ms. I.—Feudum de Boudeville in finibus S. Nicolaï et Tancarvillæ invenies.

4. Chart. ms. — Arch. de la S.-I.

5. 1° Willelmus de *Moritonio* testis aderat, quando Mathildis

« seu reclamare poteram adversus abbatem et monachos « Sancte Marie de Voto, videlicet *in haia ipsorum de Lintot,* « *in bosco et in plano, et in hominibus dicte haie* pertinentibus, « predictis monachis in pace dimisi, et *omne jus quod habebam* « *vel habere poteram et me dicebam habere in eisdem* : tali « condicione quod nec ego nec heredes mei in prefata haia « de Lintot et in ejusdem pertinentiis, fide corporaliter ad « hoc prestita, nichil de cetero reclamare poterimus, et « omnia, que possidebant tempore quo facta fuit ista con- « cordia, in pace possidebunt sine aliqua reclamacione mea « vel heredum meorum. Quamobrem, predicti monachi « centum libras turonenses inde michi dederunt. Preterea « quidquid clamabant vel clamare poterant in molendino « quod dicitur *molendinum comitis in ripparia de Bollebec,* « quod videlicet dederam in maritagium *Johanne filie mee,* « et quicquid alibi possidebam, tempore quo facta fuit ista

imperatrix dedit *Parvum-Beccum* monachis de Briostel, circa annum 1150. — Chart. ms. — Ipse monachis de Voto ruinam intulit.

2° Petrus *filius Willelmi de Moritonio* in eadem charta testis scribitur. — Ibid.

3° *Johannes de Feukerei* notatur in chartis ms. 1190 et 1212. — Arch. de la S.-I.

4° « Willelmus *filius Joh. de Feukerei* et Emma uxor ejus » inveniuntur in charta ms. 1226. — Arch. de la S.-I.

5° *Willelmus Aguillon de Feukereio, filius Willelmi Aguillon,* memoratur in charta quam legis, 1218.

6° *Willelmus de Moretania*, vel *Mortagne, filius Willelmi* Aguillon de Feukereio in eadem charta nominatur 1218. — Ibid. — sicut et *Johanna* filia ejusdem Willelmi Aguillon de Feukereio, 1218.

Willelmus de Feukerei et Willelmus de Moretain, qui in generis serie novissimum locum tenent, discordias, fere centum abhinc annis exortas, præsenti conventione, sedaverunt.

« concordia, sine aliqua reclamacione de cetero michi et « heredibus meis dimiserunt monachi sepedicti. Quod ut « ratum sit et ego *Willelmus Moretagne, filius et heres pre-* « *dicti Will. Aguillon,* hanc predictam finalem pacem et « concordiam, factam inter predictum patrem meum et « dictos monachos, concessi : ita quod nec ego nec heredes « mei in rebus predictis nichil de cetero poterimus recla- « mare, et super hac fidei interpositione meipsum corpora- « liter obligavi. Et ut hoc.» — Cæterea omittuntur, præter annum. — « M.CC.XVIII[1]. »

Charta Roberti Pulli.

« Omnibus Christi fidelibus, ad quos presens scriptum « pervenerit, R.[2] Dei gracia rothom. archiep. salutem. « Noverit universitas vestra quod nos concordiam et compo- « sitionem, factam inter abbatem et monachos Sancte Marie « de Voto ex una parte, et *W. Aguillon militem de Feukereio* « et *filium Will. Aguillon* ex altera, super haia de Lintot, « in bosco et plano, et aliis ejusdem haie pertinenciis, « coram nobis etiam recitatam et ab utraque parte conces- « sam, sicut in carta sigillis *W. Aguillon* et *W. de Moretania* « *filii et heredis* sigillata quam inspeximus plenius continetur, « ratam et gratam habemus, et etiam, sicut juste et ratio-

1. Cartular. ms. I, 59. r°. — Arch. de la S.-I.
2. Robertus Pullus 1208-1222.

« nabiliter facta est, confirmavimus et presentis scripti et « sigilli nostri patrocinio communimus. Datum.» — Cætera omittuntur, præter annum : — « M.CC.XVIII[1]. »

56. « Anno 1138, abbas Alexander... domum suam, « scilicet Mortui-Maris, Ordini Cisterciensi conjunxit, et « Walerannus abbas Ursicampi eam in filiam accepit, « monachosque suos illuc transmisit. Nec multo post, idem « Alexander abbas curam dimisit; *cui Adam*[2] *prior Ursi-* « *campi successit*[3]. »

57. Recesserunt monachi anno 1152 vel 1153, quo tempore Henricus dux Normanniæ regnum paternum sibi, adversus Stephanum, repetebat; apud Anglos castella diruebat « quorum multitudo ad CXXVI summam creverat[4] » et apud Normannos « ad regem Francorum, cum exercitu, in Wil- « cassinum pergebat ». Ab Henrico pugnatum est his duobus annis *iniquo Marte* et « magno rerum detrimento[5] » : Ita ut Mathildis diceret : *non prævalemus;* donec « Stephanus « rex Anglorum et Henricus dux Normannorum cognatus « ejus..., justicia de cœlo prospiciente, concordati sunt[6]. »

58. Patres Capituli Generalis vix favebant inceptis abbatiis,

1. Cartular. ms. I. 57. v°. — Arch. de la S.-I.
2. Adam rexit Mortuum-Mare ab anno 1138 ad annum 1154. — Gall. chr. XI. 309.
3. Chronicon triplex et unum ;— DD. Chéruel, Charma, L. Delisle, 10.
4. Chronic. Normann. apud Duchesne, 1152-1153, 989.
5. Roger. de Hoved. — Scrip. rer. angl. 490-491.
6. Chronic. Norm. 1152, 989.

novas autem ab anno 1151 prohibebant : « Statutum est, « inquiunt Chron. Normann., ne amplius aliquam novam « abbatiam construerent, quia numerus abbatiarum de illo « Ordine usque ad quingentas fere abbatias processerat[1]. »

59. Primus abbas monasterii de Becheron electus est Willelmus, quem Almaricus, secundus abbas Karoliloci, instituit anno 1151[2].

Inveniendi monasterium de Becheron, jam diu ubique perquisitum, spes defecerat : cum, doctissimo nostro D. Cochet duce, abbatia de Becheron jam insperata apparuit apud librum quem gallice vocant : *Annuaire historique*, his verbis : « *Becheronis abbatia*, la même que *misericordia Dei*, « Dioc. de Poitiers. » ... « *Misericordia Dei, la Mercy-Dieu*, « la S. Vierge. C. 1151. Dioc. de Poitiers[3]. »

In Annalibus Ord. Cisterciensis, his verbis memoratur : « Sequuntur domus aliæ minus celebres, de Misericordia « Dei, quam Carolilocus, Karlisium alii dicunt, Pontigniaci « filia in diœcesi pictaviensi ædificavit[4]. »

Hæc abbatia « uno quadrante leucæ ab urbecula Rupis-« posæa... primum dicta est *Becheron*, a fundo in quo sita « erat, servavit que hoc nomen ab anno 1151, quo cæpta « est, ad annum 1175... Guillelmus I. abbas... qui sane « occurit in charta Petri de Monte-Rabiud filii fundatoris[5]. »

1. Chron. Normann. 1151. — Duchesne, 987.
2. Gall. chr. x. 1508.
3. Annuaire historique, 1838.
4. Annal. Cist. II. 1151. 199.
5. Gall. chr. II. 1356.

60. Richardus de Blosseville qui, sicut inferius scribitur, monasterium de Becheron reliquit ut Mortui-Maris monachus fieret, agris Valassensibus proximior erat pro patria Blossevilla quæ S. Valerico in Caleto contingit. Ipsius autem abbatis de Becheron natale solum nos fugit, sed ipse se caletensem confitetur. Nec mireris Normannos Pictavorum cœnobium incoluisse, nam Carolilocus, gallice Chaaliz, filia Pontigniaci anno 1136, monasterium de Becheron ædificaverat anno 1151, et huc immiserat monachos normannos et etiam caletenses, cum Richardo de Blosseville, vallis de Voto *de proximo natos.*

61. Alios ac Willelmum de Moretain filium Willelmi de Feukerei impetum fecisse in abbatiam de Voto, ex epistola Waleranni ad Mathildem directa, suspicamur.

Epistola Waleranni ad Mathildem imperatricem.

« Matildi, imperatrici, Henrici regis filie, domine sue « reverendissime et omnibus justiciis domini regis filii ejus[1] « de Caleto. G.[2] comes Mell. salutem. In veritate recordor

1. Epistola scripta fuit tempore Henrici regis, ergo post annum 1154.
2. Gualerannus.

« quod Ricardus de Bosebosco accepit a me viginti acras « terre, per viginti solidos annui census, ita ut in eadem « terra residenciam faceret et placitis meis interesse deberet, « quod nunquam fecit. Illa autem terra dicebatur *meterria* et « pertinebat ad haiam de Lintot. Hoc itaque garantizo, teste « Will. de Hangamara, H. filio de Willech. qui hec pre- « sentes audierunt. Postea vero, sicut notum est omnibus, « hanc eamdem terram dedi abbacie *Vallis Asronis* cum « tota haia de Lintot et omnibus appendiciis ejus, in elemo- « sinam. Si ergo Ricardus aut filii ejus inde aliquid amplius « occupasse videntur atque probantur, propter amorem Dei « precor vos, quoniam patrie juste providetis, quatenus « elemosinas suas memorate abbacie *ex integro restituatis*[1].»

62. Amalricus secundus abbas Caroliloci, 1142. Electus episcopus Sylvanectensis anno 1154[2].

63. Abbatia Caroliloci[3] genuerat abbatiam de Becheron : Etenim apud Manriquez legimus : « Sequuntur domus aliæ « minus celebres... de Misericordia Dei — *Becheron*,— quam « Carolilocus Pontigniaci filia ædificavit;[4] » et apud. Galliam chr. : « Carolilocus Pontiniaci filia genuit Misericordiam Dei, « in Pictaviensi diœcesi[5]. »

1. Cartul. I. f. 24 v°. — Arch. de la S.-I.
2. Gall. chr. X. 1508.
3. « Carolilocus, Chaalis, la S. Vierge. C. 1136. Dioc. de Senlis, » — Annuaire hist. 1838 — « fundatur anno 1136, v. id. januarii a « Ludovico Crasso. » — Annal. Cist. II. 1136. 320.
4. Annal. Cist. II. 1151. 199.
5. Gall. chr. X. 1508.

Unde, Amalricus abbas Caroliloci erat pater abbas Willelmi abbatis de Bécheron.

64. Gilbertus tertius abbas Ursicampi, 1143-1163[1].

65. « Ursicampus et Urbscampus, Orcamp. la S. Vierge, « C. 1129. Dioc. Noyon[2]. »

« Cœnobium Ursicampi fundatum est a nobilissimo præ« sule noviomensi, domino Simone, qui Hugonis Magni « Viromanduorum comitis filius fuit, ... adducto conventu « monachorum a Claravalle et domino Waleranno primo « abbate ordinato[3]. »

66. Guillelmus secundus abbas de Briostel, 1147-1166[4].

« Briostelium, le même que Lanneium. »

« Lanneium, Lannoy, la S. Vierge. C. 1135, reconstruit « 1137. Dioc. de Beauvais[5]. »

« Ultimo loco, scribit Manriquez, subjungam chronolo« giam, quæ duodeviginti monasteria recenset hoc anno, « 1137, ... ex quibus tamen — *abbatiis* — silendæ nobis « *Briostel* et Briolium quia neptes[6]. »

« Briostel, inquit Gallia chr., quæ appellatur adhuc Alne-

1. Gall. chr. IX. 1129.
2. Annuaire historique, 1838.
3. Robt. de Monte ad annum 1129. — Annal. Cist. ad ann. 1229. 203.
4. Gall. chr. IX. 838.
5. Annuaire hist., 1838.
6. Annal. Cist. ad ann. 1137. — 332.

« tum et Lanneium, anno 1135 ædificata, ad Cistercium « transiit anno 1137[1]. »

67. Letaldus vel Hugo qui notantur, prior anno 1139 et posterior anno 1197.

Pratum ædificavit, anno 1063, Mathildis regina, uxor Willelmi Nothi[2].

68. Mortuum-Mare Ursicampi fuit filia. « Hoc tempore, « 1138 (1137), inquit Robertus de Monte, venerabilis vitæ « Alexander primus abbas Mortui-Maris se et domum suam « tradidit abbati Ursicampi[3]. »

Mortuum Mare « sub linea Clarævallis et filiatione Ursi- « campi[4]... »

In filiatione autem Cisterciensi, abbatia filia de matris nutu semper aliquo modo pendebat : ideoque statutum fuerat in Capitulo Generali, anno 1134 : « Quatinus saltem semel in « anno, matrem ecclesiam, per abbatem suum si sanus « fuerit, visitet filia[5]. » Hac legis auctoritate ductus, Amalricus abbas Caroliloci obstabat Willelmo abbati de Bécheron, quia abbatia de Bécheron erat Caroliloci filia. Ex altera parte, Willelmus abbas de Bécheron ad abbatem Ursicampi confugiebat, quia Ursicampus genuerat filiam Mortuum-Mare, quæ abbatia Votum sibi vindicabat contra ipsum Willelmum de Bécheron.

1. Gall. chr. IX. 838.
2. Neust. pia, 614.
3. Robt. de Monte 1138. App. ab Sigeb.
4. Gall. chr. XI. 307-308.
5. Nomasticon Cister. 256.

69. Haymo secundus abbas Bordesleiæ.

Dugdale's Monasticon anglicanum novum quod seriem abbatum Bordesleiæ texuit, Willelmo primum locum assignat ab anno 1136 ad annum 1160 : « William, inquit, was abbat, « 1160[1]. » Sed falso, certum est enim Haymoni jam abbati Bordesleiæ ædificationem Voti a Waleranno commissam fuisse ante annum 1152 et probabilius anno 1150; præterea, Haymo vita functus est anno 1188, rexit ergo Bordesleiam saltem ab anno 1150-52 ad annum 1188 et Willelmus primus abbas non regnavit ultra annum 1150-52.

70. Non fortuito convenerat horum abbatum congregatio. Sententia enim ferenda erat quasi quædam *depositionis sententia*. « Depositionis vero sententia (statuerat Capitulum « Generale), nunquam feratur in abbatem quantumcumque « contumacem, nisi in aliquo Ordinis capitulo, præsente « etiam aliquanto abbatum numero ; et hoc non nimis preci- « pitanter, nec sine magno et maturo consilio ...[2] »

71. Adam, antea monachus Ursicampi[3], rexit abbatiam Mortui-Maris sexdecim annis, 1138-1154[4]. Morti proximus erat anno circa 1153, quum Votum abbati *Bordesleiæ permisit*.

72. Huic cessioni, quam fecit Adam abbati bordesleiensi,

1. Monast. angl. nov. v. 407.
2. Nomast. Cist. 537.
3. Chron. tripl. et unum, 10.
4. Gall. chr. XI. 309.

annuunt Acta Sanctorum his verbis : Adamo abbati Mortui-Maris « duo quoque loca ad construenda cœnobia... donata « sunt, Vallis-Richerii scilicet in lexoviensi territorio et « Vallis-Ascii in Caleto. Quæ cum diu possedisset et per « manus fratrum suorum ædificasset, in tantum, ut aiunt, « fratres suos diligebat, quod eos a se emittere non valebat, « et alterum quidem locum, Vallem-Richerii, S. Bernardo « abbati Clarævallis contulit; alterum, id est Vallem-Ascii, « abbati de Bordesleia concessit[1]. »

73. Vicecomitatus de Blossevilla S. Valerico in Caleto finitimus, quem constituerant duces Normanniæ, in magno momento habitus est post expugnatam Angliam. Ideoque vicecomites Blossevillæ, ævo anglonormannico, cum regibus frequentes erant. Quorum nomina sæpius in chartis abbatiæ Fiscannensis inscribuntur[2]. Regnante Ludovico XI, vicecomitatu Blossevillæ potitus est Johannes de S. Mard, qui regis mensas administrabat, aquis silvisque præerat et Calidobecci præfectus simul et nobilium ultimorumque militiæ ordinum dux fuit[3]. Feudo Blossevillæ castellum cum turribus[4], et munitiones et fossæ desunt, non autem gens illustris quæ sæcula durando vincit, perantiquæ prosapiæ, innata nobilitate, non immemor.

74. Sæpius e monasterio ad monasterium recedebant monachi; paucos ex pluribus referre satis.

1. Rer. gall. et franc. Script. XIV. 511.
2. M. l'abbé Cochet, Egl. arr. Yvetot. II. 54-55.
3. Anselm.
4. Egl. arr. Yvetot. II. 54-55.

Si credas Annalibus Benedictinis, Drogo postea cardinalis Ostiensis, relicto S. Nicasio rhemensi, Pontigniacum petierat[1]. Præterea, Arnulfus lexoviensis, in epistola ad abbatem Cistercii, Willelmum abbatem de Pinu qui duos, Arnoldum et Richardum, e Voto ad cœnobium de Pinu revocaverat, acriter objurgat[2]. Vertente sæculo decimo tertio, frater La Vache Valassensis e Voto recedebat[3].

Nec plura, legenti enim sæpius occurunt exempla.

Quas permutationes improbatas S. Bernardum habuisse comperimus, ex ejus epistola ad abbatem S. Nicasii rhemensis, de Drogone postea cardinali, qui, ut supra diximus, Pontigniacum petierat : « Si frater Drogo, inquit, de sua « discessione me consuluisset, absit ut consentirem; si post « discessionem ad nos divertisset, absit ut susciperem. Deni« que, quod solum potui, ad abbatem qui eum recepit, « nostras mox, sicut scis, litteras misi. Et nunc super hoc, « quid tibi possum ultra facere, frater[4]! »

Innocentius etiam papa scribens ad abbates Ordinis S. Benedicti in Capitulo Generali congregatos, permutationes prohibebat his verbis : « Ut nullus fratrum vestrorum, post « factam in suo monasterio professionem, absque prælati et « aliorum fratrum licentia, ad alium locum audeat convolare; « nec alicui liceat eum suscipere et tenere[5]. »

Necnon Capitulum Cisterciense, ut monachis permutandi

1. Annal. Bened. VI. 66.
2. Epist. Arnulfi, Bibliot. PP. pars II. XII.
3. Charta ms. Arch. de la S.-I. — Valasse.
4. Annal. Bened. VI. 66.
5. Thesaurus anecd. I. 389.

viam præcluderet, statuerat : « Caveat autem abbas ne ali-
« quando de alio noto monasterio monachum ad habitandum « suscipiat, sine consensu abbatis ejus, aut litteris commen- « datitiis[1]. »

Monachos tamen, invitis S. Bernardo et Innocentio et Capitulo generali, locum aliquando permutasse, exempla suprascripta demonstrant.

75. Ex chartis Valassensibus, dominia regis, camerarii et comitis Boloniæ alia aliis immixta fuisse conjicimus. Milevilla, Bosevilla[2], Tres-Petræ, S. Johannes de Nova-villa de dominio regis erant. Abbatiæ de Voto « dedimus, inquit Henri- « cus II.,... etiam *terram de Parvo-Becco*[3],... et terram et bos- « cum quod eis addidi de *foresta mea*[4], sicut divise demons- « trant : Que sunt, cheminum quod dirigitur a Bolebec ad « Milevillam, et exinde juxta terras Boseville usque ad Cal- « ceiam[5], dehinc per Vallem-Comitisse[6] et Vallem-Magnam « usque ad Fractum-Monasterium; inde juxta terras Infir- « morum usque ad predictum cheminum[7]. »

1. Nomast. Cist. 53.
2. Anno 1292, quidam redditus assignatur apud Beuzeville-la-Grenier « super unam *peciam* terræ *in feodo domini regis*. » — Chart. ms. Arch. de la S.-I.
3. Apud Milevillam.
4. *Grangiam* dictam *le Mont-Criquet* et nemus quod dicitur Fractum-Monasterium — *Fresmoustiers* — apud S. Johannem de Nova-villa.
5. *Calceia* quæ à Bolbec tendit ad *Bréauté* per saltus *Fracti-Monasterii* et agros S. Johannis de Nova-villa.
6. Juxta Tres-Petras.
7. Chart. ms. Henrici II. — Arch. de la S.-I.

Sanctum Nicolaum de Tallia, S. Eustachii et S. Antonii agros et saltus declives in dominio habebant comes Boloniæ et camerarius de Tancarvilla : Etenim Reginaldus de Dammartin, cui Ida filia Guillelmi de Moretain comitatum Boloniæ dotem attulerat, abbatiæ de Voto *dedit*, anno 1195, in *foresta Insulebone, ducentas triginta acras terre, cum alta et bassa justicia, ... salvo jure vicarii S. Eustachi*[1]. » Camerarius vero Radulfus filius Guillelmi abbatiæ et monachis de Voto *dedit* « in « *foresta Insulebone,* mortuum boscum et herbagium ad « animalia et pecora, sicut calceia dividit[2], » id est, « infra « cheminum quod protenditur ab Insulabona ad S. Ro- « manum[3]. »

Ergo, « quidquid vallis erat inter haiam et aquam... », a sinistris *ripparia* de Bolbec, erat comitis Mellenti ut supra diximus; a dextris autem, rivulus et camerarii simulque comitis Boloniæ prædia fines dominii regis constituebant. Testatur ipse Henricus II : « confirmavimus, inquit, abbatie « de Voto, *totum dominium nostrum ipsius vallis* in qua fun- « data est, inter Insulambonam et Bolebec. » Dominium autem regis sive camerarii vel comitis Boloniæ non ita integrum in pagis supradictis portendebatur, ut aliena *tenementa* non caperet.

76. Ex utraque tabula geographica quas delineavimus dictum monachi probatione firmatur.

1. *Ferme de la Barre.* — Chart. ms. Arch. de la S.-I.
2. Chart. ms. — Arch. de la S.-I.
3. Chart. confirm. Urbani III papæ, 1185-1187. — Cartul. ms. I. — Arch. de la S.-I.

77. Ex his verbis constat Chronicon Valassense, anno 1181 transacto, exaratum fuisse : quo quidem anno ecclesia dedicata fuit ab Henrico episcopo bajocensi[1]. Epistolam dedicantis perlegendam præbere juvat : « Reverendo Domino et « Patri Sanctissimo, I[2]. Dei gracia summo pontifici, Henri- « cus divina miseratione bajocens. ecclesie minister humilis « salutem, et debitam Patri et Domino cum summa devotione « reverentiam. Sciat Paternitas Vestra et Sanctitas quod cum « nos prece Rotrold. rothom. archiep. ecclesiam S. Marie de « Voto dedicassemus, ad instantiam nostram et precem, « Henricus bone memorie rex Anglie dedit et in dotem « concessit, monachis S. Marie de Voto, forestam de Insula- « bona, sicut calceia, que est inter Insulam-bonam et S. « Romanum, dividit, vale[3]. »

78. Permutationes, cessiones, institutiones abbatum et abbatiarum fundationes, ex Capituli Generalis arbitrio pendebant. Satis est sequentia afferre statuta :

« Omnis... cessio abbatis, nec non depositio vel institutio « extra Capitulum Generale facta, irrita sit et inanis[4]. »

1. Henricus episc. bajoc.. qui 1165-1205 regnavit. Dedicationi ecclesie Beccensis 1178 adfuit, et « rogatus a Rotroldo metropolitano « dedicavit, anno 1181, ecclesias Valassiæ et Cæsaris-burgi. » — Gall. chr. XI. 364.

2. Innocentius antipapa simul cum Victore, Paschali et Calixto, 1181.

3. Cartular. ms. I. — Arch. de la S.-I.

4. Nomast. Cist. 537.

« Prohibitum est ut nullus abbas electionis suæ causam « prosequatur[1]. »

« Abbas qui contra formam præscriptam abbatiam creare « præsumpserit, tam promovens quam promotus deponatur « et conventus ad domum priorem revocetur[2]. »

« Abbates qui abbatias relinquunt, in ordinem suum « redeant et nihil sine licentia sibi retineant; et infra duos « menses professionem faciant, si potest fieri competenter, « alioquin, pro fugitivis habeantur[3]. »

79. « Mathildis imperatrix, dum quadam vice apud Rotho- « magum infirmaretur, sufficiens argumentum suæ prudentiæ « et religionis, tam præsentibus quam futuris ostendit: « gazas enim non solum imperatorias, quas secum de Italia « incomparabiles attulerat, verum etiam quas regalis, imo « paterna munificentia de inexhaustis Anglorum thesauris « sibi contulerat, tam devota manu ecclesiis diversarum « provinciarum, et utriusque sexus religiosis, pauperibus, « viduis, orphanis distribuit; ut nec a culcitra serica, super « quam in ipsa infirmitate jacebat, abstineret, quin, ipsa « detracta, pretium ejus leprosis erogari juberet[4]. »

80. Grangia est « prædium, villa rustica... » Grangiæ « dicuntur a granis quæ ibi reponuntur, — et sunt grangiæ « domus seu ædificia... ubi sunt stabula pro equis, bostaria

1. Nomast. Cist. 325-326.
2. Ibid. 275.
3. Ibid. 325.
4. Will. Gemet. lib. VIII. chap. XXVII.

« seu præsepia pro bobus et aliis animalibus, caulæ pro « ovibus, porcitheca pro porcis et sic de aliis quæ pertinent « ad æconomiam, ut sunt loca deputata pro servientibus ad « agriculturam et opera rustica[1]. »

81. Donis, quæ concesserat anno 1152, octingentas *acras* terræ *in foresta Fiscanni*[2] adjecit Imperatrix, post annum 1154, Henricus enim, ejus filius, regis Angliæ titulo in charta insignitur et Imperatrix intendit *pacem et stabilitatem Angliæ* et *Normanniæ*. Præterea Mathildis dat salutem *fidelibus suis Anglis* et *Normannis.*

Charta Mathildis imperatricis.

« Matill. imperatrix, H. regis filia, archiepiscopis, episcopis, « abbatibus, comitibus, justiciariis, baronibus, vicecomitibus, « ministris et omnibus *fidelibus suis Anglis* et *Normanis,* « tam presentibus quam futuris salutem. Sciatis me et *regem* « *filium meum* fundasse abbaciam S. Marie de Voto, de Ordine « Cisterciensi, pro amore Dei et pro anima H[3]. regis patris « mei, et G[4]. comitis Andegavensium domini mei, et M[5].

1. Ducange.
2. Fongueusemare.
3. Henricus I.
4. Gaudefridus.
5. Mathildis filia Macolm regis Scotiæ et Margaretæ. — Henr. Huntind. 378. — Mathildis obiit regno post 17 annos et septem

« regine matris mee, et pro animabus antecessorum et « aliorum parentum nostrorum, et pro salute nostra et « heredum nostrorum, et pro *stabilitate et pace Angliæ et* « *Normanniæ*. Et huic abbacie et monachis in ea Deo « servientibus dedimus, in perpetuam elemosinam, et confir- « mavimus totam vallem inter Insulambonam et Bolebec, in « qua ipsa fundata est; et in foresta Fiscanni octingentas « acras terre, et Bellum-Faiellum[1] et boscum sicut via « Gyreville[2] dividit; que dirigitur per vallem, que vocatur « Magna Vallis[3], usque ad Tiliam Anlupi, cujus totius terre « divise sunt iste : vallis predicta, Vallis de Casa Orgri[4], « Vallis de Sturnello[5] usque ad Cantelupum[6]; et exinde per « vallem, que dicitur Vallis Sequane, usque ad calceiam[7] que « est in divisis de Theoboutot[8], et sicut termini Gyreville « dividunt usque ad supradictam viam. Insuper concedimus « eis et in elemosinam perpetuam confirmamus in utraque « foresta, id est Insulebone et Fiscanni, omnia aisiamenta « sua, cum omnimoda libertate pasnagii et pasture, et ligna et « materiem ad domos suas faciendas et ad alias res usui suo

mensès libenter relicto : fatum parentum experta, qui pene omnes virente potissimum ævo excessere mundo. — Will. Malmesb. 165.

1. Le Mahiel ?
2. Gerville.
3. Le Grand-Val d'Étretat.
4. *Orgerii?* La vallée de misère?
5. La Grande-Renelle ?
6. L'ancienne chapelle de Canteloup sur Écrainville.
7. La chaussée de Bretteville : Voie romaine de Lillebonne à Étretat.
8. Le château de Thiboutot sur Maniquerville.

Hæc nomina interpretabatur D. Cochet apud « La Seine-Inférieure histor. et arch. 60. not. 5.

« necessarias. Preterea concedimus eis et confirmamus « omnes donaciones, que eis racionabiliter facte sunt, sicut « carte donatorum testantur : Ex dono W[1]. comitis Giffardi « unum pondus salis apud Luram singulis annis; ex dono « G[2]. comitis Mellenti totam haiam de *Lintoth*, cum omnibus « pertinenciis suis; et quecumque de cetero juste et racio- « nabiliter adquirere poterunt eis concedimus et confirma- « mus. Quapropter volumus et firmiter precipimus, ut abbatia « predicta et monachi in ea Deo servientes hec omnia « predicta habeant, et in perpetuam elemosinam teneant in « pace et libere, et quiete et integre et honorifice, cum « omnimodis libertatibus et quietantiis suis de theloneo, et « passagiis, et assisis, et omnibus aliis consuetudinibus nobis « pertinentibus. Testibus H[3]. archiep. rothom., Phil[4]. bajoc., « Arn[5]. luxov., Rotr[6]. ebroic. episcopis; G[7]. com. Mell., « Walt[8]. comite Giffardi, Rob. de Novo-Burg., God. de Vals, « W. de Herl. Apud Rothomagum[9]. »

82. Auxit Henricus dona Mathildis dilatando metas, non quidem prædii de *Fangosemare*, sed agrorum quibus cognomen le Petit-Bec, ut in sequenti charta ipse testatur.

1. Walterus.
2. Gualerannus.
3. Hugo Ambianensis, 1128-1165.
4. Philippus, 1143-1164.
5. Arnulphus, 1141-1182.
6. Rotroldus, 1141-1165.
7. Gualerannus obiit 1163. — P. Anselm. II. 405.
8. Walterus obiit 1165. — Order. Vit. apud Rer. gall. et franc. Scrip. XII.
9. Chart. ms. — Arch. de la S.-I.

Charta Henrici II regis Angliæ.

« Henricus Dei gracia rex Anglie et dux Normannie et « Aquitanie et comes Andegavensium, archiepiscopis, epis- « copis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vice- « ministris et omnibus fidelibus suis, tam presentibus quam « futuris salutem. Sciatis me et dominam matrem meam « Mathildem imperatricem, Henrici regis filiam, fundasse « abbaciam S. Marie de Voto, de Ordine Cisterciensi, pro « amore Dei et pro anima predicti regis avi mei, et pro « anima Gaufridi comitis Andegav. patris mei, et aliorum « parentum et antecessorum nostrorum, et pro salute nostra « et heredum nostrorum, et pro stabilitate et pace Anglie « et Normannie, et huic abbacie et monachis in ea Deo « servientibus dedimus, in elemosinam perpetuam, et con- « firmavimus totum dominium nostrum ipsius vallis in qua « fundata est, inter Insulambonam et Bolebec[1]. In foresta « eciam Fiscanni, totam terram quam mete ibi posite « demonstrant : scilicet, Belfaiellum[2] et boscum, sicut via « Gireville[3] dividit, que dirigitur per Magnam Vallem[4] usque « ad Tiliam Anlupi, cujus totius terre divise sunt iste :

1. Vallis quæ dicitur gallice, la *Vallée de Gruchet.*
2. Le Mahiel?
3. Gerville.
4. Le Grand Val d'Étretat.

« Vallis predicta, Vallis de Casa-Orgerii[1], Vallis de Sturnello[2] « usque ad Cantelupum[3], et exinde per vallem, que dicitur « Vallis-Sequane, usque ad calceiam[4] in divisis de Thebol- « tot[5], et sicut termini Gireville dividunt usque ad viam « supradictam. Dedimus eciam terram de Parvo-Becco, cujus « partem quamdam venerabilis imperatrix Mathildis mater mea « emit a monachis de Briostel, pro centum et viginti libris bel- « vac.; et terram et boscum quod ego eis addidi de foresta mea « sicut divise demonstrant, que sunt cheminum quod dirigitur « a Bolebec ad Milevillam[6], et exinde juxta terras Boseville[7] « usque ad calceiam[8], dehinc per Vallem Comitisse[9] et « Vallem-Magnam[10] usque ad Fractum-Monasterium[11],

1. La Vallée de misère?
2. La Grande-Renelle?
3. La chapelle de Canteloup sur Écrainville — sans doute la chapelle des lépreux : — Michaël de Rovetot dedit Ecclesie de Voto, 1279, « quinquaginta solidos annui redditus, apud Escreinville, in tribus acris terre apud Pissecat et una virgeia terre « *juxta terram « leprosorum de Canteleus.* » — Chart. ms. — Et alibi datur terra quæ sic terminatur. « D'un bout, *la terre des malades de Canteleu*, et d'autre bout, le chemin qui maine de Tenemare à Fescamp. » — Cartul. ms. — Arch. de la S.-I.
4. La chaussée de Bretteville.
5. Le château de Thiboutot sur Maniquerville.
6. Antiqua via quæ a latere collis currit a Bolbec ad Milevillam, — *Mirville.*
7. Beuzeville-la-Grenier.
8. Via romana quæ ab Insulabona ad Estrutat protenditur per Gruchet, Bolbec, Saint-Jean de la Neuville, *Beuzeville?* Bréauté, Goderville, Cretot et Fongueusemare.
9. Vallis-Comitisse intra S. Johannem de Nova-Villa et Tres-Petras.
10. Le Val-d'Arques qui dicitur etiam le Grand-Val.
11. Fremoutiers vel Fresmoutiers, nemus est quod frondescit infra

« inde juxta terras Infirmorum[1] usque ad predictum chemi-
« num[2]. Insuper concessimus eis et in elemosinam perpe-
« tuam confirmavimus, in utraque foresta Insulebone et
« Fiscanni, omnia aisiamenta sua, cum omnimoda libertate
« pasnagii et pasture, et ligna et materiem ad domos suas
« faciendas et ad alias res usui suo necessarias. Preterea
« concessimus eis et confirmavimus omnes donaciones que
« eis in elemosinam date sunt, sicut carte donatorum testan-
« tur : Ex dono Walteri comitis Giffardi unum pondus salis
« apud Luram singulis annis, ex dono Waleranni comitis
« Mellenti et Roberti filii ejus totam haiam de Lintot, cum
« omnibus pertinentiis suis, et sex millia allectium et hos-
« pitem unum apud Pontem-Audomarum, et quecumque de
« cetero juste adquirere poterunt, vel eis in elemosinam data
« fuerint concedimus et confirmamus. Quare volumus et
« firmiter precipimus ut abbatia predicta et monachi in ea

grangiam Valassensem cui nomen le Mont-Criquet et S. Joannem de Nova-Villa. — *Calceia Fracti monasterii* in chartis Valassensibus, notatur : anno 1280, Will. de Bueseville miles vendidit, conventui de Voto, quindecim solidos annui redditus, monete currentis, et quatuor capones et quatuor denarios, *in quodam campo in parrochia* S. Eustachii, *in Valle de Archis — le val d'Arques.* — Iste *campus* est « inter boscum Petri... et boscum religiosorum et abotat ad *calceiam Fracti-Monasterii.*» — Chart. ms. Arch. de la S.-I. — Anno 1263, Johannes Loton de *parochia S. Thome de Grochet* vendidit abbatie de Voto « quatuor acras terre... abotantes .. ad *canceiam* de Fresmostier. » — Ibid. — Canceia de Fresmotier si magistrum nostrum D. Cochet ducem sequamur, indicat cognomine viam qua stratum romanum a Bolbec ad Breauté currebat.

1. Leprosi de Bolbec apud le Val-aux-Grès — quorum terræ ad prædia le Mont-Criquet et le Petit-Bec approximabant.

2. *Cheminum* a Bolbec ad Mirville.

« Deo servientes hec omnia predicta habeant, et in elemosi-
« nam perpetuam teneant, bene et in pace, libere et quiete,
« integre et honorifice, cum omnibus libertatibus et quie-
« tantiis suis de theloneo, et passagiis, et assisiis et de om-
« nibus aliis consuetudinibus. Testibus, R[1]. archiep. roth.,
« A[2]. lexov. episc., E[3]. episc. ebroicensi, comite Guill. de
« Mandevilla[4], A[5]. comite ebroicensi, Nichol de Stotev[6].,
« Hugone de Longo Campo, Reginaldo de Curtenai, Regi-
« naldo de Pavilli[7], Roberto de Stotev. Apud Rothomagum[8].»

Hæc autem dona magnifice ampliavit Henricus II anno 1181, in dedicatione ecclesiæ quam veluti sponsam sibi copulavit, dotem largiendo regiam, per chartam et per *annulum suum quem super altare optulit*. Charta quidem nos præteriit non autem dona quæ rememorat Richardus dictus Cor Leonis. Affirmat Richardus se confirmasse ecclesiæ S. Mariæ de Voto : « Dotem quam dominus rex H. pater « noster, in dedicatione ejusdem ecclesie, eis dedit et per

1. Rotroldus, 1165-1184.
2. Arnulfus, 1141-1182.
3. Egidius, 1165-1180.
4. Notatur apud P. Anselmum his verbis : » Guillaume de Mandeville comte d'Essex, mort le 14 nov. 1190. » — P. Anselm. II. 489.
5. Almaricus III pater Agnetis quam duxerat Walerannus. — Moreri — de la Roque.
6. Nominatur anno 1169 apud Chronicon Fiscanneuse.
7. Cum rege et Waleranno crucem assumpserat. — P. Anselm. I. 527.— Pater Reginaldi vita functus est post annum 1127.— Ib. 527.
8. Chart. ms. Arch. de la S.-I.— Affirmat Henricus se cum matre adhuc superstite fundasse abbatiam et inscius quidem fere tradit hujus chartæ annum, nam Rotroldus eligitur archiepiscopus rotomagensis anno 1165, Mathildis autem anno 1167 moritur, ergo diem hujus scripti intra 1165 et 1167 reperies.

« annulum suum super altare optulit, qui, ob hujus rei « testimonium, juxta sigillum nostrum est appensus : vide- « licet terram et nemus in foresta Insulebone, sicut calceia « dividit que protenditur ab Insulabona ad S. Romanum [1], « inde per Oiseleriam [2] et Rammes [3] et Gomervillam [4], et per « Novam-Villam [5] et per Magnam-Vallem [6] usque ad Bolebec, « et inde per vallem [7] usque ad calceiam ante nominatam [8]... »

Eadem confirmavit Alienor regina, cujus chartam legendam præbere juvat.

« A[9]. Dei gracia Anglie humilis regina fidelibus universis « in perpetuum. Sciatis nos pro anima domini regis Henrici, « et pro salute filii nostri Rich. regis et anime nostre, et « omnium antecessorum et successorum nostrorum, con-

1. Via romana quæ ab Insulabona ad Caracotinum — *Harfleur* — protenditur. — Seine Inf. hist. et arch. 41.

2. Loiselière juxta S. Romanum et Gomervillam. — Inter rusticas civitates et parochias jam non scribitur Oiseleria, sed apud Odonem Rigaldi invenitur : « Loiselière, abbas de Wallemont patronus.» Et apud chartas abbatiæ de Voto : — Gilbertus de castellun dat capellæ S. Johann. de Voto « tenementum in parochia S. Thome de Oseleria, « apud *Rubeum-Montem*. » 1233. — Chart. ms. Arch. de la S.-I.

3. « La Chatellenie de Rammes était assise à Gommerville. » — M. Cochet. Egl. arr. Havre II. 343.— Rammes memoratur in cartulario ms. 1473. IV. f. 34. v. « Seigneurie de Rames, rue de Collebos » S. Roumain.

4. Gommerville, non autem Ermeinvillam ut scripsit P. du Monstier Neust., p. 854.

5. S. Jean de la Neuville.

6. Vallis de Archis, Val d'Arques, quæ dicitur adhuc le *Grand-Val*.

7. Vallée de Gruchet.

8. Calceia ab Insulabona ad Caracotinum. — Chart. ms. Arch. de la S.-I.

9. Alienor.

« cessisse et presenti carta confirmasse, in liberam et puram
« et perpetuam elemosinam, Deo et ecclesie S. Marie de Voto
« et monachis ibidem Deo servientibus, dotem quam dominus
« noster H. rex in dedicatione prefate ecclesie dedit ei, et
« per annulum suum super altare obtulit, ac deinceps
« predictus noster filius carta sua eidem confirmavit ecclesie
« et ipsius carte ipsum sui patris in testimonium appendi
« fecit annulum, videlicet terram et nemus in foresta Insule-
« bone, sicut calceia dividit que protenditur ab Insulabona
« ad S. Romanum, et inde per Oiseleriam et Ramel et
« Gomervillam et Novam-Villam, et per Magnam-Vallem
« usque ad Bolebec, et inde per vallem usque ad calceiam
« ante dictam. Concessimus etiam et confirmavimus, eidem
« ecclesie et monachis ejusdem loci, omnes donationes et
« elemosinas, et libertates eis datas quorumcumque dona-
« torum fuerint, sicut carte et scripta donatorum rationa-
« biliter testantur, et sicut in carta, quam filius noster rex
« Richardus super his dedit eis, continetur. T. Agenneus.
« episc. et Henr. xanctoniensi episc. et Henrico abbate
« cadurcensi et monacho ejus Grimardo et clericis Jordano
« et Johanne et Raunulfo et Longo Oger. milite. Apud
« Burdegalas[1]. »

83. « Eleemosyna, l'Aumône, dit le Petit-Citeaux. Cist.
« 1121. Dioc. de Chartres puis de Blois[2]. »

84. Landesium erat domus interposita : etenim Cistercium

1. Chart. ms. Arch. de la S.-I.
2. Annuaire hist. 1838.

genuit Eleemosynam[1], Eleemosyna autem genuit Landesium[2], et Landesium genuit Bordesleiam[3].

85. His dictis annuunt Acta-Sanctorum : « Ipsa Mathildis, « inquiunt... Vallem Ascii de manu abbatis Bordesliæ recepit et abbati Stephano[4], coram rege et archiepiscopo « tradidit, volens de fratribus Mortui-Maris suam fundare « ecclesiam[5]. »

Præterea, epistola Capituli Generalis ad Mathildem directa, dicta monachi firmissimo argumento confirmat :

Epistola Capituli Generalis ad Mathildem.

« Dilecte in Christo domine M. imperatrici et matri regis « Anglorum, Fr. L[6]. vocatus abbas de Cistercio et totius

1. « Eleemosyna filia Cistercii, anno 1121. »—Annal. Cist. ad ann. 1125.
2. « Landesium filia Eleemosynæ, intra Bituricensem sita diœcesim « in libris Cameræ Landesium adpellatur. »— Annal. Cist. ad ann. « 1129. 203.
3. Cistercium genuit..., per Landesium, Bordesleiam in Anglia, in « comitatu Buckringhanniæ. » — Ibid. 1138. — 360.
4. Stephanus abbas Mortui-Maris, 1154-1174.
5. Rer. gall. et franc. Script. XIV. 512.
6. Sanctus Lambertus ex abbate Clarifontis et Morimundi factus abbas Cistercii 1155, « sacram Calatravæ militiam Ordini Cist. firmat, 1158. — In Capitulo Generali universum Cistercium et per « illud Ecclesiam Alexandro papæ confirmat 1160... cedit anno 1161... « Morimundum revertitur, ubi non multo post obdormivit. » — Annal. Cist. — Append. ad I. — 472.

« conventus abbatum Cisterciensis Capituli, perpetuam in « Domino salutem cum orationibus. Quia transit ad memo- « riam posterorum scripture beneficio quod ex processu « temporis *antiquiscitur (?)* et senescit, tam sequentui « quam presentui memorie alligare curavimus, quod assensu « communi et beneplacito omnium nostrum, abbatiam de « Voto, sine omni controversia et retractatione *tam abbatis « de Elemosina quam abbatis de Bordesleia, abbati de Mortuo- « Mari concessimus, et vestre pacis et voluntatis intuentu* « ipsam concessionem sigillo nostro confirmavimus[1]. »

Ista quam legis epistola scripta fuit post annnum 1155 inchoatum, nam Lambertus eodem anno 1155 creatus est abbas : imo post annum 1156 inchoatum : charta enim papæ Adriani anno 1156 XII kal. martii concessa, ablata fuit a fratribus de Bordesleia quum ex Voto, jubente Lamberto et Capitulo Generali, coacti recesserunt. Præterea, locum ipsorum ceperunt monachi Mortui-Maris anno 1157, XV kal. julii. Hinc epistolam, anno 1156 vel, quæ sententia magis arridet, currente anno 1157, missam fuisse ex dictis conjicere licet.

86. Molli disciplina utebatur Henricus I. Quippe qui « non « multo post (regnum adeptum), suadentibus amicis ac « maxime pontificibus, ut, *remota voluptate pellicum*, legiti- « mum anplecteretur connubium, die sancti Martini, accepit « Matildam filiam Malcolmi regis Scottorum, cujus amori « jam pridem animum impulerat[2]. » — « Ut rex *legaliter*

1. Charta ms. Arch. de la S.-I.
2. Will. Malmesb. 156.

« *viveret*, inquit Guillelmus Gemeticensis[1], duxit, eodem « anno 1100, venerabilem Matildem... genuit autem... ex « Matilde... filium unum[2] nomine Willelmum et filiam « unam[3]. »

Mathildis autem « prima uxor Henrici obiit regno post « 17 annos et septem menses libenter relicto... Successit « thoro ejus, *sed non ita cito*, Adala filia ducis de Lovanio, « quod est castellum caput Lotharingiæ[4]. » Ex qua Henricus prolem non suscepit. Interea, ita fuit solutior moribus, « ut, « sicut a consciis accepimus, inquit Willelmus Malmesbu- « riensis, gignendæ prolis amore mulierum gremio infunde- « retur[5]. » Hinc, contra fas genuerat quamdam filiam comitissam Perticæ[6], Richardum quem « ante regnum ex pro- « vinciali femina susceperat[7] » et Robertum consulem, qui Mathildis imperatricis commodis optima fide inserviit. Willelmus Gemeticensis commemorat « filios sex et septem « filias licet minus honesto modo progenitos... septima « (filiarum) quæ nata est ex Elisabet sorore Waleranni comitis « Mellenti, adhuc innupta permanet[8] » anno 1135, quo obiit pater ejus Henricus.

Hæc autem soror notha Imperatricis abbatiam Monasterii-

1. Will. Gem. lib. VII. cap. x. 297.
2. Qui periit « inter Barbefluvium et Hantoniam... ad Cataras. » — Id. Ibid.
3. Mathildem imperatricem.
4. Will. Malmesb. 165.
5. Will. Malmesb. 162.
6. Ibid. 165.
7. Ibid. 165.
8. Will. Gemet. lib. VIII. cap. xxix.

Villaris regendam obtinuit. Antiqua manuscripta Monasterii-Villaris eamdem, nomine Almodis insignitam, commemorant.

Johannes Bain anno 1612, antequam P. Arturus Chronicon Valassense truncatum prælo subjiceret 1663, abbatissarum seriem sic texuit :

« 1e Beatrix tante du duc Robert[1].

« 2e Almodis fut abbesse de ce monastère en l'an 1152.

« 3e Adeline fut abbesse de ce monastère en l'an 1192[2].

In libro cui titulus : « *Mémoires concernant les anciens « droits spirituels de l'abbaye royale de Montivilliers,* » hæc inveniuntur :

« Noms de toutes les dames abbesses qui ont gouverné « l'abbaye :

« 1e Beatrix fut la première abbesse après la restoration « du monastère de Villiers; elle était tante du duc de « Normandie.

« 2e Élisabeth fut la seconde abbesse en l'année 1065.

« 3e Almodis fut la troisième abbesse, en l'an 1157. Elle « fonda l'abbaye du Valasse, Ordre de Citeaux, près Lille-« bonne. Elle était fille de Henri Ier, roi d'Angleterre et « sœur de Mathilde, impératrice.

« 4e Adeline fut abbesse en l'an 1193[3]. »

1. Anno 1030. — T. Duplessis I. 107.

2. Librum ms., a Johanne Bain exaratum, incolumem servavit et bibliothecæ Monasterii-Villaris, cui ipse præest, dedit D. Blanchet.

3. Mémoires concernant les anciens droits spirituels, etc... transcripsit manu propria et Bibliothecæ Monasterii-Villaris dedit D. Blanchet.

Charta autem quæ ex codice manuscripto sæculi XVII detracta videtur, exposuit catalogum quod sequitur :

« 1e Beatrix.

« La 2e fut Élisabet, en l'année 1065.

« La 3e fut Almodis, l'an 1120.

« La 4e fut Mathilde l'an 1157. Elle a fondé l'abbaye du « Valasse... Elle était fille de Henri Ier, roi d'Angleterre[1]. »

Num Almodis idem sonat ac Mathildis? Johannes Bain et qui scripsit : *Mémoires concernant les anciens droits spirituels, etc.*.. auctores sunt alius Beatricem et alter Elisabeth fere centum annis vel amplius regnasse. De Almodi affirmant quod soli Mathildi congruit. Si tamen de nomine erraverunt, memoria a patribus et a monialibus Monasterii tradita non fefellit eos, et antiquis inhærentes traditionibus narrant quamdam abbatissam, quodam modo affinem monasterio de Voto, fuisse sororem Mathildis imperatricis, et circa annum 1152-1157 rexisse abbatiam Monasterii-Villaris. Concordant ergo traditio Monasterii-Villaris et Chronicon-Valassense, non quidem semper de nomine sed de facto. Præterea, consentiunt monachus de Voto et Willelmus Gemeticensis de Mathildis imperatricis sorore, quam posterior innuptam et prior Monasterii-Villaris abbatissam, nomine Mathildem, fuisse affirmant. Accedit etiam *antiquissima consuetudo* abbatissarum Monasterii-Villaris, quæ semel quotannis apud hospitum domos, abbatem de Voto invisere solebant. Narratio igitur monachi de Voto non omnino aspernanda videtur, immeritoque forsan scripserunt : Abba-

1. Biblioth. Monasterii-Villaris.

tissarum Monasterii-Villaris IVa « Mathildis I. reperitur anno « 1157, et dicitur in Actis fundationis abbatiæ Vallis-Azonis, « quæ collegit auctor Neustriæ piæ, 848, soror Mathildis « imperatricis. Quod si verum est, Acta enim illa non « videntur ab omni parte irreprehensa, matrem habere « debuit Elisabetham sororem Waleranni[1]. »

87. Henricus I. Mortuum-Mare condiderat anno 1137[2].

Idem Henricus qui « ipsius loci — Mortui-Maris — fundatorem se fore spoponderat, » vallem ipsam, in qua fundatum fuit monasterium, Alexandro abbati largitus est, anno 1137[3],

88. « Sic domus illa — *abbatia de Voto* — Mortui-Maris « est filia[4]. »

89. « Adam, abbas — *Mortui-Maris* — ex monacho Ursi« campi, obiit 1154[5]. »

90. « Stephanus, abbas — *Mortui-Maris* — 1154, abbatiam « Vallis-Ascii in suam filiationem suscepit, anno 1157[6]. »

91. Privilegium domini Papæ datum suspicamur eodem anno, quo Haymo jam monasterii de Voto incola, cum


1. Gall. chr. XI.
2. Chron. tripl. et unum. 10. — Annal. Cist. 1136.
3. Gall. chr. XI. 307-308.
4. Rer. Gall. et franc. Script. XIV. 512. — Ex Actis SS.
5. Gall. chr. XI.
6. Gall. chr. XI.

Mathilde monachis suis « imminebat, eisque cooperabatur, » 1156.

Privilegium D. Papæ Adriani IV. 1156.

« Adrianus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis,
« abbati monasterii S. Marie de Voto ejusque fratribus tam
« presentibus quam futuris, ecclesiasticam vitam professis
« IN. P.P.M. Religiosam vitam eligentibus apostolicum
« convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis
« incursus aut eos a proposito revocet aut robur, quod
« absit, sacre religionis infringat : eapropter, dilecti in
« domino filii, vestris justis postulationibus clementer annui-
« mus, et prefatum monasterium, in quo divino mancipati
« estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione susci-
« pimus, et presentis scripti privilegio communimus. In
« primis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui
« secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem
« loco noscitur institutus, secundum institutionem Cister-
« ciensis Ordinis, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter
« observetur. Preterea, quascumque possessiones, que-
« cumque bona, idem monasterium impresentiarum juste et
« canonice possidet aut in futurum concessione pontificum,
« largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu
« aliis justis modis, procurante Domino, poterit adipisci,
« firma vobis vestrisque successoribus et illibata perma-
« neant. In quibus hec propriis duximus exprimenda voca-
« bulis : ex dono Matildis quondam Romanorum imperatricis,
« totam vallem in qua ipsum monasterium situm est; in

« foresta Insulebone, omnia aisiamenta vestra ad hedifica-
« tiones domorum et ad omnia vobis ibidem necessaria; in
« foresta Phiscanni, octingentas acras terre. Ex dono Guale-
« ranni comitis Mellentini, omnem haiam de Lintot cum
« omnibus pertinentiis suis; duo clausa vinee apud Valles
« scilicet Plantas-Plastrarie. Ex dono camerarii de Tancar-
« villa, mortuum boscum et herbagium foreste de Insulabona
« ad proprios usus, et easdem libertates in foresta Phiscanni
« ab eodem vobis indultas. Sane novalium vestrorum, que
« propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis
« vestrorum animalium, nullus a vobis decimas presumat
« exigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat
« supradictum monasterium temere perturbare, aut ejus
« possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu qui-
« buslibet vexaxionibus fatigare. Sed illibata omnia et integra
« conserventur eorum, pro quorum gubernatione et susten-
« tatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva
« Sedis Apostolice auctoritate et dyocesani episcopi canonica
« justicia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve
« persona, hanc nostre constitutionis paginam, sciens contra
« eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commo-
« nita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione cor-
« rexerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque
« se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat,
« et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini
« Redemptoris nostri Ihu-Xri aliena fiat, atque in extremo
« examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem
« loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Ihu-Xri;
« quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud
« districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.
« A. † Amen. »



Ego Adrianus catholice Ecclesie episcopus.
† Ego Hymarus tuscul. episc.
† Ego Gregorius sabinens. episc.
† Ego Odo diaconus card. S. Georgii.
† Ego Guido diaconus card. S. Marie in Porticu.
† Ego J. diaconus card. S. Marie in Colmydyn.
† Ego Johannes diac. card. Sanctorum Sergii et Bachi.
† Ego Odo diaconus card. S. Nicholaï in Carcere-Tulliano.
† Ego Boso diaconus card. Sanctorum L... et Barniani.
† Ego Albertus diaconus card. S. Adriani.
† Ego Hubald. pbr. card. S. Praxedis.
† Ego Bernard. pbr. card. S. Clementis.
† Ego Johannes pbr. card. Sanctorum Johannis et L.
† Ego Henr. presb. card. Sanctorum Nerei et Achillei.
† Ego Johannes pbr. card. Sanctorum D. et Martini.
« Datum Later. per manum Rolandi S. Romane Ecclesie
« presbyteri card. et cancellarii. XII. kal. mart. Indictione v,

« Incarnationis Dominice anno M.C.L.VI. Pontificatus vero « Domini Adriani pp. 1111 anno 111[1].

92. « *Multis precibus,* Mathildis imperatrix, filia Magni « Henrici regis Angliæ, a... *Stephano abbate Mortui-Maris* « obtinuit, ut conventus inde mitteretur ad struendam « abbatiam Cist. Ord., ad laudem et honorem Dei et « B. Marie omniumque Sanctorum[2]. »

93. Guillelmus abbas olim Ursicampi in abbatum serie omittitur apud Gall. chr. IX. 1129.

Mihi videtur librarium scripsisse *Guillelmus* pro *Gualcrannus* qui primus abbatiæ Ursicampi præfuit 1120-1142 et forsan, insciis auctoribus Gall. chr.. munus resignavit.

94. Aupenais, hodie le Bourg-Baudouin, Arrond. des Andelys.

95. Gamaches. — Arrond. des Andelys.

96. Cahaignes. Arrond. des Andelys.

97. Noyon-sur-Andelle — Charleval. Arrond. des Andelys.

98. « Duodecim monachi *cum abbate decimo tertio* ad « cœnobia nova transmittantur, nec tamen ibi destinentur,

1. Chart. Ms. — Arch. de la S.-I. — Valasse.
2. Rob. de Monte ad ann. 1157. Suppl. ad Sigeb.

« donec locus libris, domibus et aliis necessariis aptetur :
« libris dumtaxat, missali, epistolari, textu regulæ, libro
« usuum, psalterio, hymnario, collectaneo, antiphonario,
« lectionario, graduali; domibus, oratorio, refectorio, cella
« hospitum et portarii, necessariis etiam temporalibus[1], ut
« vivere et regulam ibidem statim valeant observare[2]. »

99. « Abbas Stephanus de conventu suo viros idoneos
« eligens illuc — *Valassiam* — transmisit, et domnum
« Richardum de Blossevilla eis abbatem præfecit[3]. »

Eadem affirmat Robertus de Monte : « Ab Incarnatione
« Domini M.C.LVII. xv kal. julii, processit conventus cum
« abbate suo Richardo de Blossevilla a Mortuo-Mari, missus
« a domno Stephano tunc abbate Mortui-Maris, et venit in
« hunc locum, qui dicitur Votum, situm in territorio rotho-
« magensi[4]. »

100. Abbate Richardo de Blosseville jam mortuo, ex dictis patet, scripsit noster monachus.

Richardus quidem negotiis utilis inventus est, qui, Arnulfo lexoviensi addictissimus[5], ab imperatrice Mathilde ad summum pontificem Alexandrum III missus est[6] ut pacem inter Thomam Cantuariensem et Henricum II regem Angliæ refor-

1. « Bona clericorum, gallice, *le Temporel.* » Ducange.
2. Nomast. Cist. 249.
3. Rer. gall. et franc. Script. xiv. 512.
4. Robt. de Monte, ann. 1157. Supp. ad Sigeb.
5. Maxima Bibliot. PP. xxii. 1328. Lugduni.
6. Neustria-pia, 856. — Epist. Joh. Saresb. apud Rer. gall. et franc. Script. xvi. 509. — Baronius xii. 507.

maret, 1165. Postea, anno 1171, ab Henrico rege Romam directus est, ut animum Alexandri papæ, ob B. Thomæ cædem, infensissimum demulceret[1]. Qua legatione feliciter perfunctus Votum absolvit, « nemora et terras acquirendo, « domos pulchras, prægrandes ædificando[2] »; et kal. sept. 1174, abbas Mortui-Maris electus est[3].

101. Gilbertus tertius abbas Ursicampi, 1143, transiit ad Cistercium 1163[4].

102. Guillelmus primus, abbas de Briostel, 1147-1166[5].

103. Stephanus abbas Mortui-Maris, 1154-1164[6] : omittitur in Neustria-pia, 781.

104. Qui doctissimus in desiderio est omnium D. Langlois apud « Recherches sur les bibliothèques des archevêques « et du chapitre de Rouen, p. 62 », commemorat Laurentium archidiaconum, qui Capitulum rotomagense *Medietate Bibliothecæ* donaverat. Monachis autem de Voto « unam *masuram* apud sanctum Vivianum » postea dedit Laurentius : « Ex dono Laurencii archidiaconi rothomagensis, inquit « Urbanus papa in charta confirmativa, unam masuram

1. Annal. Cist. ann. 1171-509. — Rer. gall. et franc. Script. xvi. 477-479.
2. Rer. gall. Script. xiv. Ex Act. SS.
3. Chron. Mortui-Maris apud Rer. gall. et fr. Script. xii. 783.
4. Gall. chr. ix. 1129.
5. Gall. chr. ix. 838.
6. Gall. chr. ix. 309.

« apud sanctum Vivianum[1] » et iisdem fere verbis Richardus rex : « Ex dono Laurentii archiadiaconi unum managium « apud sanctum Vivianum[2]. »

105. *Alia via,* id est, per *Pontem* a Mathilde ædificatum ab anno 1151 ad annum 1167, si D. Deville crediderimus : « M. Deville pense que l'origine de ce Pont — de pierre, dit « de Mathilde, — dont nous avons vu disparaître les der- « nières piles il y a peu d'années, se trouve comprise entre « les années 1151 et 1167[3]. » Non videtur tamen omnino absolutum anno 1167, affirmat enim Robertus de Monte, anno 1167, Mathildem « ad pontem... lapideum super Se- « quanam apud Rotomagum a se inchoatum, multam sum- « mam pecuniæ » *dimisisse.* Sed anno 1157, Pons Mathildis pervius erat, nam abbates Ursicampi, de Briostel et Mortui-Maris, *dum enavigaret Conventus, alia via* venerunt Rotomago Chevillium[4], scilicet per Pontem lapideum, non enim alia via illis pervia fuit.

106. Ut obscurum e tenebris ad lucem vocemus, memineris, quæso, duces Normanniæ duo septa *fustibus plantatis* cinxisse, unum de Rouvreio, alterum de Quevilly. Henricus II « *parcum* et *mansionem regiam* fecit juxta *fustes plan-*

1. Cartular. ms. — Arch. de la S.-I.
2. Chart. ms. — Arch. de la S.-I.
3. Essai sur l'hist. de la côte Sainte-Catherine. — L. de Duranville, 169.
4. Quevilly.

« *tatos* apud *Chevillium*, juxta Rothomagum[1]. » Hinc, ni fallor, utraque Mathildis abbatibus et monachis, in *adjacentibus fluvio pratis, ex condicto* occurrit. Nec fortuito dixit monachus : *Enavigavit Conventus trans Secanam*, id est ab urbe Rotomago ad prata Chevillii et : *abbates alia via venerunt*, scilicet per Pontem quem Mathildis ædificaverat.

107. Kilebo. Quillebeuf, perantiquus portus juxta castellum de Tancarville, Sequana interfluente.

108. Ex lapsu calami *primo* pro *septimo* scripsit librarius. Manriquez Conventum agris valassensibus potitum esse affirmat anno 1156, III Id. julii. Eodem quidem anno quo Adrianus monasterium privilegio confirmavit? Quum Bordesleienses adhuc Votum occuparent? — Juvat cum Roberto de Monte[2] et Gallia christiana[3] et de la Roque[4] et ipso monacho de Voto, qui procul dubio scripsit *septimo* non autem *primo*, annum 1157, « II. Id. junii, feria quarta, in « crastino festivitatis S. Barnabæ apostoli » adscribere.

109. Multiplici nomine appellatur abbatia in chartis manuscriptis : dicitur enim, Votum, Vallis-Azonis, Vallis-Asronis, Vallis-Axonis[5], Vallis-Ascii, Vallis-Aceii, Valacia, Valassia, et

1. Robt. de Monte apud A. le Prévost. Revue de la Norm. 1863.— 838.

2. Rob. de Monte. Suppl. ad Sigeb. Ann. 1157.

3. Gall. chr. XI.

4. De la Roque. III. 47.

5. Quidam Radulfus de *Axone* memoratur apud Orderic. Vit. XIII; Duchesne, 916.

gallice, Valace, Val-Ace, Valasse, Val-Asse[1]. Prævaluit autem cognomen *le Valasse.*

110. « Domnus Adam, natione anglicus, ... vir valde « religiosus et in suceptione pauperum benignissimus[2]. »

111. Eleemosynam, quam in *Francia* dederat Walerannus, continet charta infrascripta.

« G[3]. comes Mellenti Roberto filio suo et omnibus prepositis « suis et justiciis de Francia salutem. Notum sit vobis quod « ego sospes et alacer dedi totam vineam illam, que dicitur « de Valle Comitis aput Mellentum; ita distribuens ut Willel- « mus de Hangamara haberet inde unum arpentum, monachi « de Bellomonte tria arpenta, jam quicquid esset reliquum « ex eodem loco vel vinea totum possideret in perpetuam « eleemosinam abbatia Vallis-Axonis, pro salute anime mee « et Agnetis comitisse uxoris mee, et filiorum meorum et « reliquorum omnium prosapie mee vivorum et defuncto- « rum. Insuper, et eodem intuitu pietatis, dedi memorate « abbatie *unum burgensem in burgo Pontis-Audomari* de « mediocribus, qui possit monachos et eorum negotia « honeste suscipere et hospitare. T. Will. de Pinu, Robt. de « Formovill., Ada. de..., Roberto de Brionio, Rog. cognato, « Peregrino capellano, Rob. scriptore[4].

1. Arch. de la S.-I. Valasse, passim.
2. Rer. gall. et fr. Script. XIV, 511. Ex Act. SS.
3. Gualerannus.
4. Chart. ms. Arch. de la S.-I.

112. Abbatiam quidem donavit *quinque millibus allecium* apud Pontem-Audomari.

« G. comes Mellenti omnibus prepositis et justiciis suis de « Ponte-Audomari tam futuris quam presentibus salutem. « Notum facimus vobis dedisse me abbacie S. Marie Vallis-« Aszonis in perpetuam helemosinam, per singulos annos, « quinque millia allecium, in prima dominica quadragesime « a preposito meo Pontis-Audomari in eadem villa semper « a monachis recipienda, pro salute anime mee et Agnetis « comitisse uxoris mee, et Roberti filii mei et aliorum libe-« rorum meorum. Quod si ultra prescriptam diem moram « fecerit prepositus reddere, sciat pro certo quia monacho-« rum stipendia, que propter hanc rem fecerint, de proprio « restaurabit ex integro. Testes sunt Robertus de Formovill., « Will. de Pinu, Radulph. de Magnevill.., Will. de Hanga-« mara, Adam de C...[1] »

Postea « Walerannus comes Mellenti, factus monachus « Pratelli, obiit 1165[2]. » — « ... Qui multa bona contulit « ecclesie B. Mariæ de Voto... in terris, in sylvis, in vineis « et redditibus[3].» Ad avorum tumulum sepultus est Pratelli.

« De Meullant ainsi que je compte
« Le dit Galeran estoit comte.
« Depuis qu'il fut tout vray confez,
« A Préaux fut moine profez;

1. Chart. ms. — Arch. S.-I.
2. Rob. de Monte ad ann. 1165.
3. Id. App. ad Sigeb. ann. 1165.

« Ce fut selon le dit d'aucun
« En l'an mil cent soixante et un,
« A donc il fut en terre mis
« En l'an mil cent soixante et six[1]. »

113. Firma suspicio est epistolam infrascriptam a Waleranno ad Mathildem missam fuisse eo tempore.

Epistola Waleranni ad Mathildem.

« Domine sue karissime Matildi imperatrici, filie Magnifici « regis Henrici, G. comes Mellenti salutem. Nobilitatem vestre « pietatis propter amorem Dei postulo, quatinus eodem « caritatis intuitu manuteneatis abbatiam nostram Vallis « Axonis, et elemosinas, quas illi paupertas mea pro salute « anime mee benigne contulit, et fideliter ratas esse ubi-« cunque sint faciatis ut earum particeps coram Domino « esse possitis ecce in manu vestra pono eas, post Deum, ad « Garantizandum[2]. »

1. Rob. Wace apud de la Roque, III. 17.
2. Cartul. ms. Arch. de la S.-I.

BENEVOLE LECTOR

Nobis Chronicon Valassense ad severioris critices trutinam pensantibus monachus de Voto ubique apparuit veridicus; ipsum veri cultorem fuisse probaverunt certissimi testes, tum pedetentim incedens scriptorum cætus, tum varia manuscripta, rerum historiæ fontes. Tot igitur tantisque auspiciis licetne nostrum Chronicon jam tutius in publicum prodeat? Ipse videris[1].

1. Ut Chronicon Valassense primævæ et incorruptæ verborum sinceritati restitueretur, nobis, animo volenti, sicut solet, adjutorem se præbuit D. de Beaurepaire; cui publicas grates persolvimus.



BOLBECI — TYPIS EUGENII VALIN, VIA GALLICE DICTA RUE AUX MOULES